


M. 2, 97

H. M. II, 361^b





TERTIA

PANEGYRIS

ALTORFIA-

NA.

CELEBRATA ANNO.

M. D. LXXIX.



*Cum aliis quibusdam ora-
tionibus.*

ALTORFII. &

TERRA


PANNONYA

ALTONIA

MA

CELESTINA ANNO

M. D. LXXIX



Caro calice quod dicitur
tombus

ALTONIA



VIRO AM-

PLISS. NOBILITATE

ET ERVDITIONE PRÆSTANTI,

& de literis literatisq; optimè merito, Hiero-

nymo Hieronymi illius magni F. Paum-

gartnero, Scholarchæ dignissi-

mo, Ioan. Tho. Frei-

gius S.

DANEGRIM NO-
stram tertiam typo-
grapho tradere & in
publicū emittere con-
stituimus, vir amplissime: ut quæ
κτινσφ quodammodo nostra essent,
ea χενσει quoq; amicis communia
fierent. Etsi autem res parua &
puerilis, ideoq; luce & tanto hu-

A 2

ius

ius ætatis doctissimorum viro-
rum iudicio ac lectione minimè
digna est: tamen non dubitamus,
quin lectores eruditi, si rem dili-
gentius æstimabunt, æquiores no-
bis iudices futuri sint. Interea .n.
dum versamur in rebus parvis
Æ puerilibus, in Grammaticis,
Rhetoricis, Logicisq; artibus:
parva Æ puerilia, puerorum vi-
delicet captui accõmodata, tra-
ctare nos necesse est. Sed speramus
fore tempus, quo in maiore maio-
rum disciplinarũ campo, nostra
quoq; industria maior decurrat.
Has autem pueriles nostræ scho-
læ adoras tibi Mecænati com-
muni consecrare voluimus, quòd
multis de causis has tibi deberi
existi-

existimaremus. Primum enim
assiduitas tua & studium erga
scholam hanc nostram tantum
est, ut nihil laboris tibi reliqui fa-
cias, nihilq; omittas, quod ad eam
ornandam exhibendamq; ut J. C.
loquuntur, pertineat. Accedit et e-
ruditio tua singularis, quae in tui
ordinis hominibus rara olim fu-
it. Vnde erudito viro de eruditio-
nis laude scriptio recte deberi vi-
sa est. Praeterea tanta est huma-
nitas tua, ut humanissimarum
artium laudatio nulli potius quam
tibi humaniss. viro inscribi mere-
atur. Adde quod hoc quicquid
est, tua praesentia & auditione
quasi publica licitatione merito
tuum feceris. Omitto dicere de

A 3 sum-

Summa tua in studiosos adolescen-
tes liberalitate & eximio erga li-
teras & literatos amore. Hac .n.
longiorem orationem requirunt,
quæ à me aliisq; commodiore oc-
casionè fortassis audies. Cur au-
tem soli tibi hæc puerilia inscri-
pserim: in causa est, quòd non vi-
debantur digna, quæ Triumvi-
ris obiicerentur: cum maiora &
Triumvirorum persona dignio-
ra sese offerent, Triumvirorum
etiam nomine abutemur. Benè
vale, & tuam scholam ornare &
tueri pergito. Dat. Altor-

fii: XII. Augusti,

anno

CID. ID. LXXIX.

INUI-



INVITATIO AMPLIS-
SIMI SENATUS NORIBERGEN-
sis, recitata per Sebastianum Bo-
hemum Norib.

ΚΗΝ μὲν διοίκησιν τῶν γυμνασίων ὑμεῖς
πέρεσθε καὶ τῆν παρασκευὴν, ἢ ἐν τῷ
παρόντι καιρῷ κέχρησθε οἱ διοικούν-
τες τὸ γυμνάσιον, καὶ ποῖαι ἐξετά-
σις τῶν μαθητῶν γεγένηται: οἴδατε ἀκριβῶς, ὡς ἄν-
δρες ἐπ' ἀρετῆς τε καὶ εὐγενείας διαφέροντες. Ἡ γὰρ
μεθ' ἡμῶν εἰς πρῆξιν εἰς ἐπάναγκας εἶναι, πολλὰ
τῆς ἡμετέρας παρυσίας προφάσις προφασί-
ζεσθαι. τὰ γὰρ τῶν ὑμετέρων γυμνασίου ἔτι καὶ καθ-
έστηκεν, ὥστε καὶ εἴσομαι ἔτι ἐν τῷ μηνί, ὅμ-
οι Ῥωμαῖοι ἰσχυροὶ καλοῦσι, καὶ τῶν γυμνασίου
ἐφεσηκότας ἐξετάσις ποιῆσαι πάντων τῶν ἐαυ-
τῶν ὄντων μαθητῶν: ἐπὶ ταῖς ἐν μέσσι πάλαι ἐκά-
σου τῶν μαθητῶν γνώμην ἀποφαίνεσθαι, καὶ τὰ
δῶρα, ἢ τοὶ βραβεῖα (ὡς τινες πάλαι τὰ τῶν πάλαι
ἐπτοημένοι, καλοῦσι) τὰ καθύκοντα καὶ τὰ πρῶ-
τα διαμερίσθαι. ἐπεὶ δὲ πάντα ταῦτα καὶ
ποιαῦτα ὡμολογημένα καλῶς ἔχουσιν, ὑπὸ τῶν
ἐφεσηκότων ὑμετέρων ὅτι ἐπιμελέσασθαι δὲ
κριβῶς καὶ οἱ μαθηταὶ ἀπαξάπαντες ἐδοκιμά-
σθησαν.

Ἰθισαμ: πινὲς δὲ καὶ διὰ τὸ εἰς ἄκρον τῆς παιδείας
ἐλληκεναι, τῶ εἰς ἑτέρας φυλάς ἐγγράφεσθαι
ἀξιοὶ ἐκρίθησαμ: ἐγνωσαμ οἱ διέπντες δ' ἑκ τῶ
σιου, τῆ ἡμέρα τοῖς δυοῖν Αποστόλοις Γέτρω τε
Πάυλω ἱερά, τῶν νεανίας τῶν δ' εὐφύιαμ ἐκλάμα
ποντας, εἰς τὸ βραβευτήριον εἰσάγημ, καὶ ἐν μέρε
τὰ βραβῖα ἐκάστοις διανέμημ. τούτωμ δ' ἐχόν
τωρ ὅτωσ, καὶ τῶ καιροῦ τῶ γυμνασίω τοιότω,
ὅτωιορ ὑμάς οἶδατε εἶναι, ὄντωσ: ἐυχοντῶ οἱ ἡμέτε
ροι διδάσκαλοι καὶ τῆμ γεροσίαμ ταύτωσ τῆσ τῶ
λεωσ, καὶ τὸ ὑμέτερον ἀξίωμα, καὶ πάντα τῆσ βα
λῆσ προτεύοντωσ, τῆ σφῶμ πανηγύρεμ παρῖναι:
καὶ προσλιπαρῶσι ὁμοίωσ τοῖσ μάλισά, ὅπωσ
ταύτωμ τῆμ χάριμ σφισῖν ἢ βαλῆμ χαρίζεσθῶ θέ
λη. Εἰμ γὰρ ταύτωσ τῶ δέκσεωσ ὑφ' ὑμῖν τεύξον
ται: ὑπιχενῶντῶ σφῶσ αὐτῶν τὸ πρὸσ ὑμάσ καὶ
τῆμ σύγκλητομ καθῆκῶμ ἀπακριβῶσφῶ, καὶ δὲ
ἐπιμελείασ τῶ γιγνομένησ ἐξῆν. Εἰρηκῶ.


ALIA INVITATIO RE-
CITATA PER MELCHIOREM
Schlauderspachium.

NON ignotum est vobis, Viri nobili-
tate, prudentia, omniumq; virtu-
tum genere ornatissimi, prudentis
pii q; magistratus officium esse, ut non
modo

modo ea, qua ad vitæ politica præsidia spectant, diligenter sollicitèq; comparet: sed etiam scholarum & studiorum rationem in primis habeat. Etenim quanquam in illis civilibus plus splendoris vulgò esse existimetur: non minus tamen necessaria hæc scholarum officia perhibenda sunt: eoq; intentiore cura tuenda & defendenda, quò majorem illæ inclinationem his temporibus minari videntur. Atq; ejus rei cogitatio præcipuè illis incumbit, qui jam in scholis instituendis defendendisq; aliquam laudem, eamq; publicã, lateq; pervagatam, apud multos exteros excitarunt. Ex quorũ numero amplissimus prudentissimusq; noster Senatus vel præcipuus hodie est. Nam cum superioribus primis annis elegans Museum pro literarũ studiosis magnis sumtibus extruxisset: proximis his annis ita animum suum ad artiũ professiones laudatissimas adjecit, ut pro vehementi suo bonas artes provehendi studio nullis sumtibus pepercerit: sed & omnium præclararum artium magistros suo Museo præfecerit, & ad explorandos studiosorum profectus examina publica progressionesq; annuas instituerit, & præmia etiam benè meritis liberaliter hucusq; donaverit. Cum autem hoc quoq; tempore solennia illa examinis à nostris præceptoribus præstita sint, unumq; illud restet, ut in publico conventu & amplissimi prudentissimiq; senatus præsentia tota res ad diem D. D. Petro & Paulo sacram conficiatur: non possunt nostri præceptores intermittere, quin amplissimum Senatum rogent orentq;: primo ut in eo of-

A S ficiũ

ficii benevolentiaq³ cursu, quem non sine prudenti
maturoq³ consilio suscepit, & haectenus cōpluribus
significationibus animi sui demonstravit: dein-
ceps quoq³ permanere velit. Deinde ut, nisi mole-
stum sit, aliæ graviores res & majora negotia
impedierint, senatus amplissimus hoc quoq³ benefi-
cio scholam suam sibi devincire velit, ut ad prædi-
ctum diem solennibus nostris conventibus interef-
se, eosq³ sua amplissima presentia illustriores red-
dere dignetur. Nam cum senatus amplissimus non
tantum scholæ Mecænas & patronus publicè libe-
ralissimus sit, sed etiam privatim quàm plurimi
ex illo ipso in tanta celebritate & dignitate con-
stituti, ita literas & studia colant, ut ea non ad of-
tentionem, ambitionem aut otium, sed ad re-
rum gerendarum scientiam assumant: nullos ali-
os optatiores nostrarum solennitatum spectatores,
aut iudices censesq³ advocare possumus, quàm
amplissimam Noribergensis Reip. senatum. Cui
petitioni nostræ amplissimum ordinem eò equio-
rem futurum existimamus, quò plus spectata pru-
dentia & multis argumentis testata ipsius erga
nos benevolentia nobis spondet & promittit: tum
verò etiam quòd veterum heroũ exemplo, etiam
inter gravissimas de Repub. cogitationes, atq³ ad-
eò in medio ipso difficillimarum et summarum re-
rum tractatu, quin imò in senatu ipso, his nostris
literis & humanitatis studiis locum esse, non ob-
scure cognovimus. Quamobrem non dubitamus,
quin quod oramus, amplissimum senatum etiam
exoraturi simus. Quod si fiet: pollicemur totius
scholæ

schola nomine fore, ut non modo hæc amplissimi senatus honorifica presentia ad illustrem nominis & gloriæ ejus commendationem celebretur: sed etiam ea, quæ in hominum scholasticorum tenuitatem cadere potest, gratitudo animi libenter meritoq; consequatur.



PROGRAMMA PRO-

POSITVM PRIDIE D. D.

Petri & Pauli.



*V*M omnes scholastica disciplina rationes, recte constituta, singularem fructum afferunt: tum nulla fructuosior aut ad bonarum artium conservationem aptior censeri debet, quam hæc ordinariorum progressionum ratio. Et enim in his cum ingeniorum solidi fructus excutuntur, & sigillatim diligenterq; perpenduntur: tum verò etiam diligentia ac vite ratio pressius initur: & studium sedulitasq; premiis excitatur. Quod si ullo tempore his honoribus & illecebris studia excitari oportebat: hoc præcipuè seculo id necessarium est, quo antiqua illa & pristina diligentia deposita, ac erga literas fervor deploratus: omnis deniq; præclara veterum disciplina collapsa est. Quæ studiorum & disciplina non curantia (ut Cicero loquitur) quantas tenebras olim allatura sit, non obscure jam divinare licet. Quibus
invale-

invalescentibus, omnia veterum præclara monu-
menta, omnes bonæ honestæq; artes jacebunt &
contitescent. Vt omittam, hæc tam præclara ruere
non posse, quin etiam Remp. secum tandem in præ-
ceps trahant, quæ literarum studiis carere nequit,
et in luce cognitionis et prudentiæ potissimum cer-
nitur. Itaq; præclare & recte amplissimus Nori-
bergensis senatus, non tam nobilitate & opum am-
plitudine, quàm prudentiæ, ingenii, judiciiq; copia
& gloria abundans: ut barbariæ occurreret, &
bonas literas pro sua virili tueretur, præter cetera
præclara, solennes & annuos progressus, honorifi-
câq; examina ingenii et doctrinæ exerceri voluit.
Cum igitur præteritis diebus classes nostras ordine
omnes & singulas examinaverimus, quosdamq;
ex una tribu ad aliam transferendos censueri-
mus: vobis significandum duximus, mandan-
dumq; ut cras hora sexta in collegio compareatis,
& ad suas singuli classes vos conferatis, indeq; mo-
deste amplissimos viros, Scholarchas nostros, in ar-
cem ac templum comitemini: ac tandem panegy-
ri à principio ad finem adherentes, accurata at-
tentione rerum disputationumq;, quæ illic institu-
entur, ingenia studiaq; vestra acuatis, & præmio-
rum expectatione diligentiam præstare discatis.
Duo enim sunt, quibus præcipue ingenui animi
excitari debent, laudis amor & præmiorum re-
muneratio: & quanquam gloriæ cupiditate in-
flammari, honestius est: turpissimum tamen est,
ne præmiorum quidem exhortatione commoveri.
Recitabuntur autem orationes de literarum lau-
de, ne-

de, necessitate et utilitate, quam illæ cum belli tum
pacis tempore præbeant. Quamquam autem lau-
dibus constantiæ & diligentie adolescentes qui-
dam nostri satis abundant, ut nec nostro nec alio-
rum præconio opus habeant: dabitur tamen ali-
quis his nostris admonitionibus locus, eam potissi-
mum ob causam, ut quas artes singulari jam pri-
dem studio colunt, easdem ipsas propensioris ac
constantioris studii fervore, ac cupiditate qua-
dam eximia, deinceps perpetuò prosequantur.
Quamobrem hortamur vos, ut quo nos affectu er-
ga bonas artes ista dicemus: ipsi eodem studio ar-
tium illarum dignitatem recognoscatis: & vel ad
nobilitatis virtutisq; præstantiam augendam, vel
ad generis obscuritatem illustrandam, omnibus
diligentia industriæq; nervis in eas incumbatis.



ORATIO A RECTORE
IOANNE THOMA FREI-
gio recitata.

PLato, intelligendi & dicendi gra-
vissimus autor, in eo sermone quem
Phædrum inscripsit, acerrimum qui-
dem oculorum sensum esse ait, sed
prudentiã eo percipi non posse: quã,
si sub oculos cadere & in nostros sensus incurrere
posset, putat idem mirabiles sui excitaturam amo-
res.

res. Id ipsum de Philosophia, hoc est, literarum & artium omnium matre dicere possumus: cuius cum nulla, ut ex ore, imago exprimi possit, speciem ejus cogitatione & mente duntaxat videre possumus: effigiem verò literis, commentariis & auribus haurire cogimur. Quae tamen ipsa species tam efficax est, ut ea nihil pulchrius, nihil jucundius fieri possit. Quid enim est praestantius, quam divinarum humanarumq; rerum cognitionem tenere? causas, quibus haec res continentur, videre? quid in omni actione deceat, aut dedeceat: deniq; omnem honestè vivendi rationem comprehensam habere? Quae res tanta, tamq; praestantes sunt, ut earum magnitudo satis explicari non possit: quam magnitudinem dum quasi extremis labris hac mea oratione delibo, benignas queso mihi aures praebete. Etsi enim & mea voluntate et vestra expectatione inferiora omnia, quae dicam, futura scio: tamen neq; ipse artes satis unquam laudari possunt, & utile est ejusmodi laudibus adolescentum aures frequenter circumsonari. Ex his enim primum admiratio quaedam existit: inde postea amor & scientiae cognitionisq; cupiditas exoritur. Cum autem neque ingenio neq; industria abundem: & tantam rem non modo facultate consequi, sed etiam cogitatione complecti difficile sit: pauca tantum laudis capita breuiter afferam, ut his quasi velitationibus adolescentes nostros in secundam aciem educam: graviores verò adhortandi partes clarissimo viro Dn. Camerario tanquam triario permittam. Quid igitur artes nostra

stra

stræ profiteantur, quid polliceantur: quibus rebus occupentur, videamus. Multa vitia nobiscum in lucem hanc prodeunt: plura etiam malo convictu & prava institutione adhaerescunt: quibus nisi medeamur: in perpetuis tenebris, miseraq; mentis caligine versari, veri iudicio nos destitui: ipsam verò humanam societatem continuis incertisq; procellis & tempestatibus jactari necesse erit. Quis igitur non jure admiretur præstantiam artium bonarum, quæ his omnibus malis idoneam medicinam facere possunt? quæ omnem in oratione inconstantiam, omnem in opinione errorem & in actionibus dedecus emendant, revocantq; ad primam illam hominis dignitatem, ignorantia et vitiis penè prorsus extinctam. Præstantissimum igitur hominis decus apud omnes prudentes populos hoc semper fuit: & hæc artium professio etiam regum & summorum principum antiquis temporibus moderatrix fuit. Neque id injuria. Nemo enim unquam feliciter magno in cœtu gubernare, & in populo summus esse potuit, absq; literarum cognitione & amore sapientia. Sed hanc pugnam secunda aciei principes paulò post fortius depugnabunt. Si ergò optandum est (ut certè optandum est) ex tenebris inscitia & errorum liberari, & quicquid in moribus aut consuetudine vitiosum est, dirigi ac emendari: magnifica certè ista bonarum artium præcepta tanquam presentem medicinam amplecti necesse est. Præponant alii opes, alii vires corporis, alii potentiam, alii honores: suum enim cuiq; iudicium liberum est, & tra-

Et trahit sua quæque voluptas: ut poeta loquitur.
At nobis hanc artium voluptatem, hoc studio-
rum patrimonium relinquunt: quæ qui adeptus
sit, ille omnia, quæ quidem præclara & magna pu-
tanda sunt, adeptus fuerit. Illa, quamprimum for-
tuna reflaverit, uno momento labefactata conci-
dunt: hæc nulla vi, nulla fortune aduersa aura e-
ripi possunt. Illa singula ad singulas res duntaxat
apta sunt: opes ad usum, vires ad munera corpo-
ris, potentia ad metum, honores ad laudem. Hæc
verò artium bona ubique præsto sunt, ad omnes res
apta, & nunquam intempesta sunt. Illa paucis
sufficere possunt, & quò pluribus impertias, eò mi-
nus tibi restat: hæc verò non diminuuntur si com-
municas, & quò sæpius utaris eò meliora maioraque
existunt. Itaque quod quidam corporis voluptates
preponunt, id quidem beluarum est, quæ ad id
tantum feruntur, quod suave & jucundum est.
Illos igitur totos sibiipsis relinquamus, qui tanta
bona suspicere, ut maximè velint, non possunt. Ni-
hil enim magnificum, nihil diuinum admirari
possunt, qui totos se pecudum ritu ad voluptates
viles abjecerunt. Qui autem virtutem omnibus
rebus anteponunt, rectè illi quidem: quid enim
cum illius dignitate & præstantia conferendum
est? Sed eadem illa virtus, si (ut doctissimis Phi-
losophis placet) doceri potest: unde potius eam
quam ex bonarum artium præceptis assequemur?
Hinc tot monumenta, tamque multi doctorum ho-
minum de virtute commentarii. Quis .n. Philoso-
phorum est, qui non de virtute præceperit, qui non
in illa

in illa summum bonum constituerit? Itaq³ pleni
sunt eorum libri de felicitate, de summo bono, de
virtute, de bonis rebus sequendis, de malis fugien-
dis: & eiusmodi rebus innumeris. Quorum sanè
inanis omnis labor, & stultum in præceptis con-
scribendis studium videretur, si virtus tradi aut
doceri non posset. Videmus igitur, opinor, quenam
harum artium præstantia, quæ dignitas sit: quæ id
efficiunt, ut virtutis excellentiam videre, eamq³
assequi, & ad Deorum immortalium similitudi-
nem quam proximè accedere possimus. At fasti-
dii plena, inquit, res est, ingrata & horrida. Be-
nè: quis enim negat, multis difficultatibus & tæ-
diis artium cognitionem circumvallatam esse?
Sed est hominum iniquorum, omisiss bonis, mala
tantum commemorare. Itaq³ disceptatore & ju-
dice hujus quæstionis Isocrate utamur: quem cum
multis ex orationibus eius, quibus fortes et magnos
viros ornavit, & ex sapientissimis consiliis, quibus
Reipub. sæpè profuit: intelligi potest, non modo elo-
quentia, sed etiam consiliis sapientiaq³, sui tempo-
ris omnes vicisse: tum ex hac re vel maximè, quòd
de præceptis morum & benè vivendi regulis ac-
curatissimè scripsit. Itaq³ non immeritò Socrates
apud Platonem in Phædro presagium de Isocrate
magnificum protulit his verbis: Νεὸς ἐπὶ ᾧ Φαί-
δρε Ἰσοκράτης: ὁ μὲν τοι μαντεύομαι κατ' αὐτῶ,
λέγῃ μ' ἐθέλω. Δοκῆ μοι ἀμείνων, ἢ κατὰ τῶν περὶ
ἐπιθυσιῶν λόγων, τὰ τῆς φύσεως. ἐπὶ δὲ
ἡθῶ γενναιωτέρῳ κεκράδῃ. ὥσε δὲ μ' ἀμ' γένοιτο
θαυμαστὸν προΐσσης τῆς ἡλικίας, εἰ ποδὲ αὐτοῦς τε

οὗ λόγους οἷς νῦν ἐπιχειρεῖ πλεοῦν ἢ παιδῶν δι-
ενέγκωι. τῶν πώποτε ἀφαιμένων λόγων. ἐπι τε εἰ
αὐτῶ μὴ ἀπὸ χρεῖσαι ταῦτα, ἢ μείζω δὲ τις αὐ-
τῶν ἄγοι ὁρμῇ θειοτέρᾳ. φύσιν γὰρ ὧ φίλε ἐνεσί-
τις φιλοσοφία τῆ τ' ἀνδρὸς διανοία. *Hac de Iso-*
crate Socrates. Cicero verò eundem magnum o-
ratorem & perfectum magistrum vocat, cuius do-
mus cunctæ Græciæ quasi ludus quidam patuerit
atq; officina dicendi. Tantus igitur orator tan-
tusq; & benè dicendi & bene vivendi magister,
ad hujus questionis disceptationem à nobis evoca-
tus, quamnam sententiam feret? Eam videlicet,
quam apud familiares & discipulos suos memorie
reliquit: disciplinarum radices amaras esse, fru-
ctus verò dulces: insignibus metaphoris è natura
penetralibus sumtis, literarum artiumq; natu-
ram quodammodo depingens. Ut enim radices
arborum & plantarum, quòd & terræ sunt pro-
ximæ, & caloris inopia non prorsus percoctæ sunt,
subamaræ esse solent: ita contrarijs de causis fru-
ctus dulces jucundiq; sunt, quòd & aëre aurâq;
dulciore fruuntur, & solis tepore non carent. Idem
sanè in hac artium literarumq; ratione omni ac-
cidit. Si enim earum initium & primum tempus
spèctes, videbis artium principia & quasi funda-
menta, summis laboribus & sudoribus substrui:
illudq; Poëta planè verum esse:

Multa tulit, fecitq; puer, sudavit & alsit.

Nam primo sedet magister, ut vetus aliquis
dictator & censor, ferula pueris invisâ armatus:

Latio

Latio supercilio & caperata fronte terribilis, A-
reopagiticam quandam gravitatem præ se ferens.
Hunc austum tetricumq³, studiorum & morum
exactorem, puer tabellam tenens accedere cogi-
tur trepidus: & radium literis expressis admo-
vens (prorsus ut illi, qui elephantum assensum porri-
gunt) tandem vix balbutiendo & tremendo ele-
menta effatur. Idem jam adolescentior factus, &
in principiis artium aliquousq³ progressus, gravio-
ribus mysteriis initiatur: rhetoricis, logicis, ma-
thematicis, ethicis præceptis oneratur: scribendo,
dicendo, disserendo, omnes bonos autores laudando
explicandoq³ exercetur. Hæ sunt illæ Isocrateæ ra-
dices tam injucunde, tam ingræte, tam amare. At
quàm dulces, quàm gratos, quàm suaves eadem
fructus, ubi maturuerint, proferunt? Cum enim
adolescens jam ad summum sui laboris evaserit,
jamq³ satis sudaverit & alserit, & omnium lau-
dandarum artium principia illa, absynthio per-
mista, hauserit: tum demum infinitum commo-
dorum thesaurum se nactum percipit. Nam ex
scholæ umbraculis egressus, & literaria rude do-
natus: in lucem vitæ humane & societatis civilis
educitur: & aut religionis interpretes & populi do-
ctor, aut in foro civilium causarum actor, aut vi-
tæ hominum salutisq³ defensor, aut artium inge-
nuarum professor, juventutisq³ institutor evadit.
Quàm illi gratum est, cum in populi concionem
vocatur? quàm jucundum, cum à sua sententia
totam civitatem pendere videt? quàm dulce, mul-
tos ab inferis revocatos sua opera vitæ restitui?

quàm suave ab erudita juventute circumfundi,
et illi omnium bonarum artiũ præcepta à se instil-
lari? Hi sunt illi Isocratei fructus tam jucundi,
tam grati, tam dulces: hi mellei illi honores, quibus
amaricies illa tum publicè tũ privatim conditur
& edulcatur. Adeòne igitur delicati, adeò mol-
les & effœminati erimus, ut Salmacida spolia sine
sanguine & sudore reportare: & minimi brevis-
simiq; laboris metu tam jucundis & amabilibus
fructibus nos privare velimus? An non videmus,
pueri & infantes, cum aliquod animantis genus,
aut aliquid aliud ejus generis cognoverint, quan-
ta letitia gestiant, quanta voluptate perfundan-
tur? Quin & ii, qui in pulcherrimarum artium
studiis versantur, si quid nondum animadver-
sum, aut alioqui novum & inauditum reperiant:
mirum qua alacritate, quo gaudio exultent.
Hinc Pythagoræ Βεδυσία: hinc Archimedis il-
lud Εὐρησθῆ. Tanta vis cognitionis est, tot tantaq;
illa illecebras continet: citoq; homines vel difficul-
tate vel labore frangerentur, nisi discendi volu-
ptas potius naturalis quàm labor cogitaretur, &
ipsam difficultatem jucunditas sublevaret ac mi-
tigaret. Itaq; & ii, qui opus faciunt, modos adhi-
bent & cantus, quorum suavitate deliniti, vel po-
tius à molestiæ cogitatione avocati, leviozem sibi
fatigationem onerum efficiant. Quanquam non
tantum rerum cognitio jucunda, verum etiam
contrariæ ignorantie depulsio & fuga necessaria
est. Quid enim interest, non dico inter hominem
& beluam, sed inter stipitem saxumve & inter
hominem

hominem omnis eruditionis expertem? Quamobrem rectè ille Philosophus, qui cum in suam disciplinam puerum quendam suscepisset, & pater ejus interrogaret, quid ex eo effecturus esset: si nihil aliud, inquit, at illud duntaxat, ne theatrum ingressus saxum super saxo sedeat. Quo dicto significare voluit, nihil inter indoctum & saxum interesse. Ignorantia enim hominis appellationem adimit, cuius hoc proprium est, ut quantum ipse ceteris animantibus corporeis sensibus conjunctus & affinis est: tantum cognitionis prestantia & animi excellentia præstet. Quàmnam igitur inquires cognitionem tantam artes illæ continent? Principio puerum bona indole præditum, in suam curam cum suscepit philosophia: cultum adhibet, qui & valetudini conveniens & necessitati consentaneus: non luxu aut deliciis abundans sit. Qui enim in deliciis et purpura reperit, rarò virtutibus inflammescit. Sermonem quoq̄, jam tum moderari conatur, cavetq̄, ne quid insit in eo illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum: sed habeat conjunctum cum prudentia ordinem & verecundiam. Cumq̄, ita linguam formavit, etiam quid in ratione aptum, quid verum, quid falsum, quid rebus consentaneum aut repugnans sit, ostendit: & addit ad amplitudinem & copiam orationis ornamenta. Nec his contenta, cum in hoc stadio satis jam decursam eius diligentiam putat, ad majora ascendit, & eum quasi duabus alis librat, quibus in cœlum & hujus universi machinam eam attollat, è quibus una numerorum cognitio est,

altera mensurarum. His gradibus illi in cœlum elato, perpetuam ejus vertiginem ostendit & rapiditatem celeritatemq₃ conversionis, multiplices orbium circulos, septemq₃ erraticas & reliquas inerrantes stellas, ortumq₃ & occasum syderum, & varias modò in Austrum, modò in Aquilonem commutationes. Postea verò totam illam cœlestium rerum cognitionem è supernis ad hæc inferiora & in civitates domosq₃ devocans: ostendit quæ sit vis et venustas virtutis, quàm pulchra actionum convenientia: docetq₃ tribuendum suum cuiq₃: non dejiciendos animos rebus adversis, non inflandos secundis, & in omni re conservandum modum & decus. Atq₃ hæc qualis ipse erga sese privatim esse debeat: quæ cum satis superq₃ inculcata fuerint, tum demum ad rem familiarem (quæ principium est & seminarium humani generis) docet præparare res necessarias, easq₃ tueri diligentia & parsimonia: & quoniam hoc fundamentum est Rerumpub. docet primò eum domi imperium exercere, quo postea in populo, legitimoq₃ cœtu usus est. Et ut breviter dicam, eum solum sapientem, solum regem, solum liberum, solum beatum & felicem efficit: hunc omni metu, omnibus angoribus & perturbationibus liberat: in utramq₃ fortunam ita parat, ut neq₃ animum despondeat calamitate pressus, neq₃ superbiat prospero successu elatus. Nam tranquillo rerum statu & in ipsa quiete, literarum ac sapientiæ studia excoluntur, ut tum potissimum usui sint, cum molestiarũ tempestates inhorrescent. Nam si breves fuerint illi sa-

vientis

vientis fortuna fluctus, dulcem tamen sui memori-
am studia nobis efficient: sin longiores, diuturni-
oresq₃, consilio, consolando, hortando juvabunt.
Venient multa caterva virtutum, quæ te animo
abjecto esse non patientur. Et prudentia quidem
te ad animi quandam sagacitatem vocabit, di-
cetq₃ nihil præcipue esse dolendum, quod diutur-
num futurum non sit. Fortitudo autem res huma-
nas te despiciere docebit, & omnia virtute inferio-
ra ducere: non succumbere doloribus, non frangi
te fortuna clamabit oportere. Quid dicam de ju-
stitia, de omni modo & temperantia? Atq₃ hæc in
negotiis. Cum autem dantur à rebus agendis in-
termisiones, cum à necessariis muneribus vaca-
mus, quid quæso potius aut prius agere, quàm ra-
tionem cum literis habere debemus? Quæ autem
res in omni libero populo, in tranquillis civitatibus
magis floruit? Itaq₃ Athenarum urbs præcipu-
orum Philosophorum aliorumq₃ doctorum viro-
rum voce præcipue resonuit, & in ipsa mundi re-
gina Roma sæpè philosophi & docti imperium te-
nuerunt. Ut. n. omittamus Catonem, Ciceronem,
aliosq₃ eruditos viros: etiã Imperatores philosophiæ
cognomento honoratos videmus: & quidẽ eo tem-
pore, quo præcipue Resp. Rom. floruit: ut recte Plato
dixerit, tum deniq₃ Respub. beatas fore, si aut phi-
losophi gubernarent, aut qui gubernarent, literis
& sapientiæ operam darent. Et quoniam hîc in
nostro regno sumus, dicam aliquantò audacius,
nullum esse superiorum studiorum genus, quod
philosophiæ adminiculis non indigeat. Quis se ju-

reconsultum profiteri audeat, cui doctrina philosophorum ignota sit? Quam multa de natura vi & gentium jure disputantur, quæ ex philosophorum commentariis deducta sunt? Opus esse Iureconsulto arte Grammaticorum, ostendit titulus de verborum significatione. Opus esse arte disserendi, docent intricatissimæ disputationes, quibus nisi adhibeatur Logicorum norma & amussis, intelligimus omnem vim Jurisprudentiæ collapsuram, eumq; qui sine hujus ope hanc artem pervadere velit, more Andabatarum in tenebris dimicaturum. Ut omittam Arithmeticam, Ethicam, Politicam, aliasq; artes quarum adjumenta hæc juris scientia desiderat. Qui verò artem sanandi profitentur, quid sine philosophia effecturi sint, non video. Disputant de causis, & turpe est medico nescire cuiusq; morbi principia: multa item dicunt de via & ratione docendi ac demonstrandi. Hæc omnia ex media Academia effloruerunt. Theologi quoq; se multum à philosophis adjuvari, profiteri non possunt. Itaq; pleraq; in ipsorum libris tota Logica: multa quoq; ex nature obscuritate desumpta. Deniq; qui philosophia vera sanaq;, nec ethnica tantum sed & Christiana instructus est: is undiq; munitus, tutus & tectus est, non aliter quàm si vel Achillis, vel Aeneæ illam, vel etiã hanc nostræ Palladis panopliam indutus esset. Quamobrem quis bonarum artium studium non jure miretur, in quo tot tantasq; commoditates & utilitates comprehensas videat? Ac ne plura, quæ penè innumerabilia sunt, persequar, sic statuo: studiorum

diorum liberalium cognitione, non solum privatas
res uniuscujusq₃, sed etiam universa Reipub. di-
gnitatem & majorum artium vim contineri: eam
in rebus adversis præbere portum & perfugium, in
prosperis esse adversus arrogantiam remedium:
ejus auxilio nos è cæno barbariæ emergere, & te-
nebras ex nostris animis expellere: ea deniq₃ nos
divine nature quàm simillimos effici. φασι γὰρ ἀ-
γαματοποιὸν Φιδίαν κατασκευάζομενον τὴν
ἐν ἀκροπόλει ἀθηνῶν, ἐν μέσῃ τῆ ταύτης ἀσπί-
δι τὸ ἑαυτῶ πρόσωπον ἐκτυπώσασθαι καὶ συνδέ-
σαι τῷ ἀγάλματι διὰ τινὸς ἀφανοῦς δημιουργί-
ας, ὥστε ἐξ ἀνάγκης, εἴ τις βῆ λοιπὸ αὐτὸ πῶλαιεθ-
ρὸν σύμπαν ἀγάλμα λυθῆτε καὶ συγχέ-
bit Aristoteles in libello de mundo: hoc est, Fe-
runt Phidiam statuarium, cum qui Palladem in
arce Atheniensi fecit, in medio ipsius clypeo suam
imaginem tanto artificio finxisse, & occulta qua-
dam ratione cum tota statua ita colligasse, ut qui
eam imaginem tollere voluisset, totam statuam
dissolvere & confundere coactus fuisset. Ita & nos
agamus: mentisq₃ nostræ imaginem huic studio-
rum & prudentiæ clypeo ita insculpamus, ut eam
nulla fortune injuria, nulla temporis oblivio dele-
re possit: utq₃ non verborum ambitione, sed re ipsa
vera illa imago veris signis impressa extet. Athe-
nienses cum nescio quid ædificaturi olim essent, du-
os architectos cæteris longè præstantiores in consili-
um adhibuerunt: ibi cum alter magnificis verbis
de opere toto prolixè disseruisset: alterq₃ interro-

B 5 gatus,

gatus, quid consilii & ipse haberet: nihil aliud
respondit, quàm id quod hic ὁμότεχνος suus ad
longum & splendide promisisset, se reipsa remotis
verborum ambagibus præstaturum & effectu-
rum. Idem & nos in his studiis efficiamus: remo-
veamus verborum honorificas pollicitationes: at
re ipsa & opere nos tales præbeamus, ut hoc tanto
sapientiæ artiumq; nomine digni censeamur. A-
schylus cum septem duces ad Thebas describit, sin-
gulis quidem scutum tribuit cum suis insignibus:
uni vero Amphiarao vati sine eiusmodi signis
clypeum attribuit: σῆμα δ' ἔν' ἐπῆρ κύκλω, ait:
& rationem eius rei subjicit:

οὐ γὰρ δοκῆρ' ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει,
βαθεῖα μ' ἄλοκα Διὸς φρενὸς καρπόμενος,
ἐξ ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βυλεύματα.

Idem nobis etiam propositum habeamus, ut bo-
ni et docti esse quàm videri malimus: utq; animus
noster tanquam ager fœcundus et probe subactus,
conceptis bonarum artium seminibus, virtutum
probitatisq; & optimorum fructuum copiosam se-
getem afferat. Sed nescio quo pacto præter meum
propositum, amore studiorum & dulcedine eorum
provectus sum longius: quòd nisi me ratio temporis
monuisset, quando semel vela ventis dedi, nondum
ad portum respexissem. Sed tempus est, ut brabea
adolescētibus nostris distribuantur, de quibus oc-
casione sumpta, ea quæ ad literarum rationem
spectant, amplius persequantur. Tu igi-
tur famule nominatim sin-
gulos evoca.

QVO-



QVOMODO ARTES

PVERIS TRADENDÆ, ORATIO

prima, VVideperti Comitiss

Oetingensis.



Magnam curam (AVD. optimi) & multum utilemque laborem in eo majores nostri posuerunt, ut disquirent diligentius, quænam ratio esset commodissima instituendi pueritiã, & quis modus optimus tradendi omnes ingenuas artes & liberis hominibus dignas. Itaque cum multi de hac re multorum doctorum virorum & commentarii & libri extant, & plena sint antiqua monumenta talium præceptionum & disquisitionum: nemo tamen vel propius accessisse ad eã instituendi ideã, vel utilius de ea præcepisse videtur quàm Quintilianus. Is enim ut cætera omnia sapienter & recte monuit, ita etiam in artium tradendarum ratione, tanquam oraculum quoddam protulit: ut in docendo videamus, quantum animi discipulorum capere

capere & ferre possint. Sicut enim vascula angusti
orificii (ait) superfusam liquoris copiam respuunt
& effundunt: sensim aut paulatimq³ influentem et
instillatum humorē recipiunt, receptumq³ fidelius
continent: ita animi puerorum angusti et majorū
adhuc incapaces, nimia doctrinarum præceptio-
numq³ copia fatigantur & obruuntur: paucis aut
et breuib⁹ præceptis sensim paulatimq³ implentur.
Magnifica verò sententia, & omnibus juventutis
moderatoribus, altis animi sensibus reponenda,
quæ sola declarat, quid in artium liberalium tra-
ditione præcipue spectandum, quæ via & ratio te-
nenda sit. Nec enim solum vel is ipse qui docetur,
vel ille qui docet, quis qualisq³ sit considerandum:
sed etiam tam doctrina, quam via ratioq³, & ut
Græci uno verbo vocant, methodus spectanda est.
Quemadmodum enim eum, qui angusto vasi in-
fundere quid velit, prudentem hominem & ma-
turum, non inconsideratum aut temerarium festi-
nantemq³ esse oportet: ita qui artium præcepta
pueris instillare velit, hominem cordatum, nec ni-
mium præcipitem esse convenit. Ad hæc, sicut aquã
insudenti vasculum considerandum est, ut no-
rit quid capere possit, quid respuat aut quasi refor-
midet: ita & docenti spectandum est, quanta au-
ditoris discipuliq³ capacitas sit, quid ferre, quid
non ferre possit. Præterea, ut aliud est preciosum
aliquem & fragrantem liquorem: aliud vilem a-
liquam muriam aut salsuginem instillare: ita
longè aliud est artium liberalium cognitionem,
quam aliud aliquid puerorum animis infigere:
ideoq³

ideoq̄, hīc tantō maior diligentia & cura adhibenda, quantō preciosioris rei ille μεταγγισμὸς fuerit. Deniq̄, ut longē aliud est sensim & paulatim instillare, & quasi guttatim immittere: aliud ὅλως omnem liquorem superfundere, aut omnino vasculum ipsum confringere & comminuere: ita longē aliud est paulatim fructus eruditionis inferre, aliud nulla habita ratione & sine delectu cumulatē proponere, et ingenii teneritudinem, rerum graviorum molestia frangere & obterere. Nam (ut idem Quintilianus prudenter & rectē ait) nequaquam teneris ingeniis acerbē instandum, aut plena ab his opera & omnino absoluta perfectaq̄, exigenda est. Id enim cum primis & summa diligentia cavendum providendumq̄, est, ne pueri, qui studia nondum amare possunt, prius oderint, quā intelligere aut per aetatem videre possint, quā eadem amabilia jucundaq̄, existant. Nam iidem ut violenter & improvidē infusa respuunt: ita paulatim lenteq̄, accepta, diutius retinent & fidelius: ac in summa, ut nomismatis nostri emblemā innuit,

MORAM CUSTODIA PENSAT.

Optima autem custodia est frequens usus, qui perceptam doctrinam confirmat, & accedente mediocri etiam opera, nunquam eam ex animis deleri ullo tempore sinit. Et quanquā non omnia ingenia ejusdem felicitatis & fecunditatis sunt (nam id in hominibus optare aut requirere velle, putidum & ineptum sit: sicut nec omnia vascula vel aurea vel marmorea esse possunt) de nullo ta-

men

men unquã desperandum est. Est alius facilioris
promptiorisq; indolis, qui propositam doctrinam ci-
tò quidem percipit, sed eandem non perinde fide-
liter continet: est econtra alius durioris & tar-
dioris ingenii, sed quod semel comprehendit, id te-
nacissimè retinet & amplectitur. Quae in re non
multò secus quàm in cera aut saxo accidere vide-
mus. Cera enim, ut molliori & ad digitorum im-
pressum cedenti, nullo labore quidvis imprimas,
sed eadem imagines & sigilla pro sua mollicie se-
gnius retinet & facilius dimittit: at ferro ut diffi-
cilimè & laboriosissimè quidq; insculpitur, ita di-
utius, quod semel insculptum est, perdurat & con-
sistit. Vt igitur Quintiliani illud præceptum no-
stro emblemate concludamus: artes faciliimè nul-
loq; negotio perdiscuntur, si tantum sumas, quan-
tum ingenii vires capere possunt, & habeas aliquẽ,
qui prudenter et mature instillare doctrinae liquo-
res norit: & tu etiam ipse discere ac præcepta im-
bibere queas, nec ut futilia vasa aut Danaidum
dolum omnia effundas aut transmittas: si de-
niq; usum etiam facilem adhibeas, qui præcepta
non modo confirmet, sed ea quoq; animet & in
actum deducat, & quod maximũ est,
custodiat & conservet.

DIXI.

QVOD




QVOD ARTES SINT

CERTISSIMÆ POSSESSIONES,

oratio secunda, Alexandri à

Schaumburg.



Sæpenumero mirari soleo (*AVD.* optimi) hominum quorundam, imprudentiamne an impudentiam dicam? qui liberalium artium cognitionem in tantum contemnunt, ut quamvis aliam rem, quæ vel fortuna vel corporis putatur, multis modis huic præferant: cum si recta ratione rem ipsam æstimare velimus, nihil hominis tam proprium inveniamus, quàm hæc animi bona, hasq; mentis opes ac solidas divitias. Itaq; non possum non vehementer laudare vocem illam vel Biantis (ut Cicero & Valerius volunt) vel Stilponis, ut nostrum nomisma habet: cujus patriam cum cepisset hostis, ceteriq; ejus cives ita fugerent, ut multa de suis rebus secum asportarent, essetq;

setq₃ ipse admonitus à quodã ut idem ipse faceret,
resq₃ suas quas posset secum auferret, Ego verò, in-
quit, facio: Nam OMNIA MEA MECUM
PORTO: Et rectè quidem ille vel Bias vel Stil-
po. Etenim quid tam proprium tamq₃ nostrum
est, quàm quòd non dico nos circumstat aut ad-
iunctum nobis extrinsecus à fortuna ludibriis pen-
det, sed interius & in animo hæret, quod non nisi
animo sublato, auferri nobis potest? Divitiæ qui-
dem & opes extra nos, & fortune ludibria sunt.
At eruditio & homine erudito digna humani-
tas in animo tota consistit: hoc proprium solum,
hoc unicum domicilium habet: nihil hìc loci for-
tune aut casui est. Illa igitur ludibria fortune,
(quæ nos etiam bona, si Diis placet, appellamus)
philosophus ille noster ne sua quidem esse putavit:
sed unicam illas animi opes suas proprias existima-
vit: quas, ut Valerius idem ait, pectore ille gesta-
bat, non humeris: non oculis visendas, sed animo
estimandas: quæ domicilio mentis incluse, nec
mortalium nec immortalium manibus labefacta-
ri possunt: & ut manentibus præsto sunt, ita fugien-
tes non deserunt. Vnde etiam tritum vulgari ser-
mone proverbium natum est, Sapiens sua bona se-
cũ fert, & ut Greci rotundè loquuntur, ὁ σοφὸς ἐν
αὐτῷ πᾶσι φέρει τὴν ἑστίαν. Accedit et illud, quòd,
si rem exactius perpendimus, dissimulare non pos-
sumus, illas certissimas possessiones esse, quæ nec in-
cendio nec naufragio amitti: nec vi aut furto au-
ferri: nec dolis fraudeq₃ averti possunt. Quid .n.
tam incertum est, quàm quòd vel vi ignis & pro-
cellarum

cellarum tempestatumq³, injuriis, vel raptorum fu-
rumq³, scelere & violentia, vel hominum callido-
rum malitia eripi & è nostra potestate removeri
potest? Et quid necesse est hæc pluribus plana fa-
cere? Quid? nõnne videmus eos, qui modò præ-
clara, beneq³, fundata & edificata palatia habue-
runt, aut auro, argento, gemmisq³, abundarunt:
repentè Vulcano ista omnia præclara eripiente,
pauperrimos fieri: aut postquam dolato ligno
confisi ventis & Neptuno se crediderunt, enatare
nudos, sine spe, sine re, votiva tantum tabella Diis
servatoribus suspensa? Quot verò sunt, qui cum in
latronum insidias incidissent, una cum rebus &
pecunia vitam amiserunt? aut à furibus egregiè
compilati, ex Cræsis ditissimis egentissimi Iri eva-
serunt? Hæc igitur cum tot casibus obnoxia, tot
fortune telis, tot hominum injuriis exposita sint:
quomodo certitudinis quicquam habere dicenda
sunt? At eruditio, & ex eruditione vera orta hu-
manitas, talibus casibus objecta non est: nihil hinc
injuria, nihil vis, nihil calliditas, nihil rapina, ni-
hil furtum decerpere potest: nullis incendiis, nul-
lis naufragiis eripitur: deniq³, illa ipsa (quæ rerum
humanarum domina putatur) Fortuna, nihil in
hanc juris habet: hinc jacet, hinc victa est: hinc suam
vim potestatemq³, exerere nullo modo potest: &
quæ alioqui in rebus humanis sola utramq³, pagi-
nam facere dicitur, hinc sua vi spoliata, neutram
facit. Præclarè itaq³, & ille philosophus, cum nau-
fragio factò è mari expulsus, in littore Geometricas
figuras depræhendisset: socios suos jam amissis re-
bus

C

bus

bus omnibus miserrimos factos, adhortatus est, ut
ejusmodi bona sibi compararent, quæ nullis casibus
fortuitis obnoxia, cum naufragis simul enatarent.
Deniq̃, nõne illæ possessiones certissimæ sunt, ex
quibus questus etiam & reditus certissimus est?
Proverbio igitur dicitur, quòd artem quævis alæ
terra, ῥ̃ τεχνίον πάσα γῆ τρέφει: quo proverbio
teterrimus ille tyrannus & monstrũ hominis Ne-
ro sæpè usus fuisse fertur. Et alioqui nõne huma-
nitas, bonitas, prudentia, justitia & omnium vir-
tutum concentus: presentissimus fructus artium
& eruditionis est? Rectè enim vulgò dici solet,
quò quisq̃ doctior, eò humanior: sicut è contra quò
quisq̃ indoctior, eò tumidior, arrogantior & in a-
liorum contemptum facilior. Nam, ut Comicus ait,
Homine imperito nunquam quicquam injustius,
Qui, nisi quod ipse facit, nil rectum putat.

Quæ cum ita sint: cumq̃, artes in animo no-
stro insint: & nec incendio nec naufragio perire
possint: certissimumq̃, questum præbeant: rectè
tandem concludimus, artes homini præ-
stantissimas & esse & videri de-
bere possessiones.


D I X I.



QVOD



QVOD RESPVB. AR-
TIVM VSV CARERE NON POS-
sit, oratio tertia, Alberti Keuuitz
Bambergensis.



Quod Plautus vetus Comicus ait, suo regi pulchram esse reginam: id mihi accidit in hoc emblemate, quod ex amplissimi & prudentissimi nostri senatus munificetia modo accepi. Placent enim mihi præ cæteris due Mosis tabule tam affabre cum gladio expresse: quibus indicatur idem illud, quod Iustinianus in proæmio suarum Institutionum proposuit, Imperatoriam scilicet maiestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportere esse armatam: ut utrumq; tempus & bellorum & pacis recte possit gubernari: & princeps Rom. non solum in hostilibus præliis victor existat: sed etiam per legitimos trami-
C 2 tes ca-



tes calumniantium iniquitates expellat, & fiat tam juris religiosissimus, quam victis hostibus triumphator magnificus. Quanquam autem Iustinianus eo in loco de Imperatoria duntaxat maiestate loquatur: nos tamen idem omnibus magistratibus & Rebuspub. dictum putabimus. Nulla enim est Respub. nulla communio, nullus cœtus legitime sociatus: qui non legibus & armis opus habeat. Et sic præclare Iamblichus (ut Iornandes historicus refert) dixisse fertur: Romanos, quod armis & legibus se exercuerint, orbem terrarum suum fecisse. Armis siquidem construxerunt, legibus autem conseruarunt: aut, ut nos dicimus, armis defenderunt, legibus rexerunt. Nam, ut nostrum emblemata habet,

LEX REGIT, ARMA TVENTVR.

Quod si ita est: id etiam hinc haud dubie efficitur, quod Respub. artium cognitione vel præcipue indigeat. Nam ad res divinas & humanas disceptandas, ad honesta & turpia discernenda, artium liberalium tractatione & intelligentia maxime opus est. Quid enim aliud profitentur artes, et præcipue omnium liberalium artium mater philosophia, quam scientiam omnium rerum, diuinarum & humanarum, causarumq; quibus hæ res continentur, cum bene vivendi studio conjunctam? At hæc tam præclara, universa complectitur LEX: & quæ artium præcepta in umbra scholarum traduntur: ea omnia lex in lucem educit: eaq; fieri jubet mandatq;, cumq; contra fit, pœnis mulctisq; cives cohercet. Itaq; rectè Marcianus

*cianus I. C. ex summo Stoicæ sapientiæ philosopho
Chrysippo definitionem legis repetit hanc: ὁ νόμος
πάντων ὅσι βασιλεὺς, θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων
πραγμάτων. Ἐξ δὲ αὐτῶν προσάτηρ τε εἶναι τῶν
καλῶν καὶ τῶν αἰχρῶν, καὶ ἄρχοντα καὶ ἡγε-
μόνα καὶ κτ' ἕτερον κανόνα τε εἶναι δικαίων καὶ
ἀδίκων καὶ τῆ φύσιν πολιτικῶν ζώων, προσκα-
πικὸν μὲν ὧν ποιητέον, ἀπαγορευτικὸν δὲ ὧν οὐ
ποιητέον. Hoc est: Lex tam divinarū quam hu-
manarum rerum omnium regina est. Quo magis
convenit, ut non solum rebus honestis turpibusq;
presideat: sed etiam principatum ac ducatum te-
neat, & per hoc regulam prescribat justis simul &
injustis: utpote quæ animantibus natura ad co-
lendam societatem natis, facienda jubeat, prohi-
beatq; non facienda. Quæ cum ita se habeant: ne-
mini amplius dubium relinqui potest, quin Re-
rumpub. non minima salus dignitasq; in artium
liberalium usu consistat. Quod sanè omnium opti-
mè amplissimus Noribergensis Reipub. senatus in-
tellexit, qui non modò scholas & suis civibus et no-
bis vicinis exterisq; populis, tanquam Reipub. for-
matrices aperuit: sed ipse etiam omnium rerum
maximarum artiumq; præclarissimarum cog-
nitione excellere voluit. Nulla enim est ex toto illo
orbe paulo præstantior scientia, sive rerum anti-
quarum humanarumq; prudentiam, sive politi-
cam doctrinam, sive iurisprudentiam, sive histo-
riam, sive variarum linguarum cognitionem, sive
poëticam Venerem spectes: in qua non pereruditi*

*multi inveniuntur. O beatum, vereq³, inclytum se-
 natum Reipub. Noribergensis, cui hæc non πάρα
 εργα, sed ε'ργα sunt: ô fructum eruditionis & cog-
 nitionis, singularem humanitatem! O miseros &
 longè huic senatui dissimiles alios & senatus &
 principes, qui omnem liberalem eruditionem & e-
 legantiam ingenii aspernantur! Sed redeo ad
 emblemata nostrum, quo illud quoq³, nisi valdè erro,
 innui videtur, quòd docentium & omnium eo-
 rum, qui literas tam sacras quam prophanas tra-
 ctant, munera, à politicorum officiis maximè sint
 diversa & disiuncta. Illi enim docent, & doctrina
 sua regendi rationem monstrant: magistratus ve-
 rò gladio armatus illis rectè & meritò imperat.
 Nec ulla Respub. felix est, aut suo officio rectè fun-
 gitur: nec propositam εὐδαιμονίαν consequi pa-
 test, in qua minister imperat, dominus pa-
 ret. Sed de his satis: nunc se-
 quenti lampadem
 trado.*



QVOD




QVOD ARTIBVS ET

IN PACE ET IN BELLO OPVS

fit, oratio quarta, Ioannis Firlei

Baronis de Dambro-

uiz.



*V*anta sit Poëtarum gravitas & sublimitas, quanta jucunditas: quanta ad permovendum animos hominum vis, quantaq; ad erudiendas mortalium mentes utilitas:

neminem ex nobis esse arbitror, Amplissimi viri, clarissimi ac doctissimi præceptores, & vos reliqui auditores humanissimi, qui id vel per se non videat, vel à præceptoribus quotidie poëtarum scripta enarrantibus non cognoverit. Licet enim poëta, pleraq; fabularum figmentis, & illis quidem non ineptis aut inconvenientibus, involvere & occultare soleant: tamen si rejectis hisce involucris &

C 4 inte-



integumentis, quæ illi, rei ipsius veritati quasi ob-
tendere solent, singularum partium vim & si-
gnificationem diligenter examinaverimus &
perscrutati fuerimus: multa profectò ibi & ad vi-
tam rectè instituendã, & ad politias sapienter gu-
bernandas, & ad nature arcana cognoscenda ap-
primè utilia latere deprehendemus. Id verò ipsum
cum in aliis præclaris & eximiis rebus: tum verò
præcipuè in illo insigni de Minerva (id est, pruden-
tia & eruditione) commento videre & admirari
licet. Cum enim prudentiæ præstantiam nobis pro-
ponere, ad eamq; nos exhortari vellent: finxerunt
eam quasi Deam quandã, quæ esset ex Iovis cere-
bro procreata: quo significare voluerunt, pruden-
tiam præcipuum donum Dei esse, cuius non nisi
auxilio et gratia Dei adjuti, participes reddimur.
Deinde eam præsidem liberalium artium & dis-
ciplinarum constituerunt, id quod eam harum
artium inventricem primam fuisse testatur: quo,
quid aliud intelligi volunt, quàm prudentissimo-
rum hominum industria & labore artium usum
traditum & monstratum humano generi esse?
Præterea arma etiam ipsi attribuerunt, ut gale-
am, hastam, clypeum, & lorica[m] sive ægidem:
quæ Ovidius hoc Disticho complexus est, cum ait:
At sibi dat clypeum, dat acuta cuspide[m] hastam,
Dat galeam capiti, defenditur ægide pectus.

Et Homerus Iliade quinta eadem propemo-
dum describit, cum sic ait:

ἢ δὲ χιτῶν' ἐνδύσασα Διὸς νεφεληγερέταο,
πέυχεσιν ἐς πόλεμον θωρήσεται δακρυόεντα.

ἀμφὶ

ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετ' αἰγίδα θυσανόεσσαν
δφνήν, ἥν ποδὶ μὲν πάντῃ φόβῳ ἐσεφάνωτο,
ἐν δ' ἔρις, ἐμ δ' ἀλκή, ἐμ δὲ κρυόεσσα ἰώκη,
ἐμ δὲ τε γοργείη κεφαλὴ δεινοῖο πελώρου
δφνή τε σμέρδνή τε δῖος τέρας αἰγιόχοιο.

κρατὶ δ' ἐπ' ἀμφίφαλον κυνέην θέτο τετραφά-
ληρον

χρυσείην, εἰατὸρ πόλεων πρυλέεσ' ἀραρυῖαν,
ἐς δ' ὄχεα φλόγεα ποσὶ βήσατο. λάξετο δ' ἔγχος,
βριθύ, μέγα, σιβαρὸν, τῷ δ' ἀμνησι σίχας ἀνδρῶν
ἠρώων, τοῖσιν τε κτέσεται ὄμβριμοπάτρην.

*Atq; hæc omnia non temerè aut sine consilio
ipsi addita sunt, sed singula habent peculiarem
significationem, secundum quam intelligi volunt.
Et galea quidem cristis insignita, notat prudenti-
am singulare ingenii humani esse decus & orna-
mentum, sicut cristata galea capiti imposita illud
decorum & illustre efficit. Hasta longa, quam ma-
nu tenet, monet & indicat prudentiæ aciem lon-
ge prospicere, longeq; ferire. Clypeus etiam, cui
Gorgonis caput insculptum est, singulari sua sig-
nificatione non caret. Sicut enim capite Gorgonis
prolato & monstrato Perseus hostes suos in statuas
mutabat, ita homo prudens in sui admirationem,
omnium hominum oculos & ora convertit. Nam
ex armorum & literarum præstantia admiratio
oritur. Et quemadmodum Gorgonis capite ampu-
tato, repente Pegasus ex sanguine exiit, cuius un-
gula percussa terra fontem Caballinum effudit:
ita prudenter & magno cum consilio, hoc Gorgo-*

nīs caput fonti nostro impositum est, ex quo docto-
rum virorum ora irrigata, magnas sui admirati-
ones excitabunt. Lorica verò & ægis, quæ pectus
ipsius tegit, innuit prudentem virum sua consilia
tegere & occultare debere. Ad hæc noctuam tu-
tele ipsius subjecerunt, in quo etiam prudenter eos
naturam noctuæ spectasse, quis non videt? quæ, si-
cut & ipsa Pallas, γλαυκῶπις, id est, glaucis ocu-
lis est, & prudentiæ symbolum & quasi imago est.
Ut enim noctua in tenebris perspicax valde est, &
omnia videt, ita prudentia in tenebris lucet, & in
nocte consilium est, Vnde Atheniensium nomi-
sma imagine noctuæ signatū erat. Et Plutarchus
in vita Periclis scribit, cum Pericles concionem
habiturus, superius navis tabulatum ascendisset,
unde ad populum verba faceret, noctuam ad dex-
teram ipsius advolasse, atq; in malo navis conse-
disse: quod omen effecit, ut omnes Periclis sententi-
am sequerentur. Postremo fingunt etiam Palla-
dem perpetua virginitate frui, atq; inde à Grecis
ἀθηνᾶ appellatur, quasi ἀθάνατος & παρθένος, id
est, virgo immortalis. Sed quam habuerunt hu-
jus etiam consilii rationem? Certè sicut virginitas
perpetuum bonum est, nec facile interit aut mar-
cescit: sic prudentia, quæ una est ex illis rebus,
quæ nec tempore nec ulla vi debilitari aut cor-
rumpi possunt, immortalis & æterna est. Verum
ut hanc Palladis μυθολογίαν, adhuc expositam,
ad propositum nostrum deducamus & accommo-
demus: sciendum est, Pallade nostra, id est, literis
(quarum præses ipsa est, & ex quibus prudentia
solida

solida existit) in omni vita opus esse, & ut emblem-
ma nostrum monet, prudentiam et studia literasq;
requiri, SEV PACEM SEV BELLA
GERAS. Ideò etiã Cicero Minervam voluit sui
gymnasi ornamentum γυμνασιῶδες esse, ut scri-
bit ad Atticum, quin & religiosissimè eam coluit,
ut Plutarchus in ejus vita testatur. Et Palladem,
tanquam Deam prudentiæ et doctriinæ, à pueris in
scholis olim cultam fuisse, ex Ovidii loco, qui est
lib. 3. Fastorum, colligi potest, ubi ait:

Pallada nunc pueri teneraq;
Qui benè placarit Pallada, doctus erit.

Ceterum cum hæc leviora sint, quàm ut pru-
dentia & studiorum utilitatem, vel potius necessi-
tatē satis exprimere possint: aliundè etiam, ad de-
clarandum id quod volumus, demonstrationes pe-
temus. Nam quod dicitur prudentia & literarum
adminiculo & ope, tam pacem quàm bellum con-
sistere, sine his neutrum horum rectè administrari
posse, id certè cuivis satis perspicuum est. Etenim
ut primum de bello dicam, quid quæso Imperator
rudis, & literarum adeoq; rerum imperitus, in
bello contra potentem & providum hostem geren-
do præstare posset? nõne potius amisso exercitu,
summa cum sua & patriæ ignominia, summo
etiam cum detrimento & jactura civium, non ita
ut summi illi duces triumphabundi, & magno
cum multorum & patriæ gaudio atq; gratulatio-
ne, sed paucis, quos casus funestæ cladi eripuit, co-
mitatus, pro letitia fletū & lachrymas, pro gratu-
latione dirarum imprecationem, pro triumpho
aternam

aternam infamiam reportans redibit? At si prudens, & tam pacis quam belli artibus instructus Dux bellum aliquod gerit, quam felicia principia, quam prosperos successus, quamq; latos exitus habeat videmus. In pace etiam saepenumero inertes & indocti magistratus, multa & gravissima mala toti civitati creare solent: cum eam nec legibus regunt, nec salutaribus disciplinis instruunt, sed suo impetu & cupiditatibus ferri, quò vult, sinunt: unde vitia teterrima & execranda nascuntur, quæ deinceps maledictio, & omnis generis gravissima pœna divina manent: atq; ita magna pars hominum, ob contemptum prudentiæ, æterno exitio perit. Felices contra, nec injuria, censentur eæ Respub. & civitates, quæ à sapienti magistratu gubernantur: Vnde etiam, cum præ cæteris omnibus, Atheniensium, Lacedæmoniorum & Romanorum Respub. hac gloria maximè emerent, florentissima & potentissima totius orbis imperia habita sunt. Nihil refert multis verbis commemorare Regum, & Imperatorum prudentum consilia & rationes, quibus vel amplissima imperia salva & integra conservarunt, vel angustiora auxerunt & ampliarunt: cum id cuiq; vel leviter saltem in historiis versato, tot clarissimorum Ducum, Regum & Imperatorum exempla apertè demonstrant. Atq; ut de reliquis taceam, Cæsar noster, Imperator laudatissimus & prudentissimus, tam pacis quam belli, sed belli magis artibus instructissimus, satis exempli est, prudentiam, quæ ex literarum cognitione oritur, magnum momen-

tum

tum adferre, ad bella feliciter gerenda. Quoties enim audimus eum res suas, ab adversa fortuna implicatas, & multis difficultatibus impeditas, prudentia sua, quã ex literis consecutus est (nam ejus non vulgarem doctrinam commentarii elegantissimè doctissimèq; ab eo scripti arguunt) expediisse, et victorias sæpè desperatas obtinuisse? Iam etiam pro exemplo prudentiæ in pace Cicero rectè adduci potest. Qualem enim tam in gerendo consulatu, quàm agendis causis se præstiterit, non opus est verbis multis exponere, cum id meridiana luce clarius sit. Hisce artibus cum sint destituti, et plane nudi multi principes nostri seculi, quam egregiè etiam se gerant, quamq; ad tantum munus sustinendum & defendendum apti sint, quotidiana experientia docet. Etenim cum literarum studia neglexerint & contemserint, sæpè fit, imò semper, quotiescunq; gravior aliqua res inciderit, ut alienis & oculis videre, & auribus audire cogantur. Nemo igitur jam inficias ire potest, Palladem hanc nostram, sive bellum gerendum, sive pax colenda, sive negotia aliqua peragenda, sive legationes obeunda, sive homines docendi sint, sive deniq; aliud quid tractandum sit, magnum usum nobis præstare: sineq; ea nihil dextræ aut feliciter geri in vita humana posse.

DIXI.

GRA.



GRATIARVM ACTIO,
RECITATA PER HERMAN-
num à VVerfabe Cat-
tum.



*Agne pater Divinum, solus qui sydera
torques,
Et timidas hominum perterres ful-
mine mentes:*

*Quòd Solem aspiciamus, quòd cœli carpim⁹ auras,
Omne tuum est: tu nos è matris primitus alvo
In lucem eduxti: tu nos (quæ magna potestas
Est tua) mirificis decorasti dotibus, atq̃
Ingenii ornasti virtutibus: insuper, ut te
Atq̃ bonas artes colere & didicisse queamus,
Egregios animi & felici sydere natos
Das Meccœnates, quis omnis Norica pubes
Debet & externis quicumq̃ accedit ab oris
Hausturus nostro doctas de fonte Camœnas.
Tu pacem donas, & sevi prælia Martis
Arces à nostro, pestemq̃, famemq̃, Lyceo.
Quin etiam fraudes removes, artesq̃, dolosq̃,
Quis malesana cohors, verumq̃, exosa, Sophistæ,
Humane cupiunt præstringere lumina mentis.
Quas igitur grates, memori quæ pectore contrà
Dona tibi dabimus? qua te placabimus arte?
Quis vitulus dignus te sacras imbuet aras?
Grata tibi est pietas, labiorum et victima plus quàm
Vlla*

Vlla hecatomba tuis arridet sensibus : ergo
Nostra tuas laudes, sanctumq³, per omnia nomen
Lingua canet, nullum languescens muta sub xvū,
Innumerabilibus sed concinet impigra seclis
Te pater, et manibus quæ munera porrigis amplis.
Tu modo quæ pleno donasti commoda cornu,
Hæc augere velis eadem, semperq³, tueri.
Sic pietas sua sceptrâ, & latè regna tenebit
Religio : sic Christi æternum fama vigebit.
His tibi magne pater votis, sacrisque solutis,
Nunc mihi sese offert sublimibus alta columnis
Curia, fulgenti non indignanda senatu,
Confessusq³, patrum, & sancti subsellia cætus,
Cui video immixtamq³, fidem, circumq³, supraq³,
Iustitiam, mores, & fas, rectumq³, piūq³.
Hæc laus communis : propriam at si forte requiris,
Sunt alii, emenso quos experientia mundo
Nobilitat, moresq³, hominum, gentesq³, remota,
Quas adire : ad eò nullis exterrita monstris
Aut maris aut terra, fortissima pectora gestant.
Sunt quos castra sequi iuvit juvenilibus annis,
Belloneq³, acies : alii sua pectora doctis
Artibus ornarunt, cælum quoq³, mente sagaci
Subjecere sibi, atq³, scholæ moderantur habenas,
& Musarumq³, decus. Sed me, si singula pergam
Dicere, deficiat tempus : quapropter iniquo
Exclusus spacio, hæc aliis dicenda relinquo.
Vnū illud memorans iterumq³, iterumq³, reponā,
Quòd præclara sacris hæc sunt palatia Musis
Ingenti sumtu per nostrum extructa senatum :
Quodq³, idem studiorum incensos fervido amore
Provehit

Provehit, & magnis sustentat sumtibus omnes:
Sufficit & doctos insignesq₃, arte magistros,
Ingenuasq₃, coli mandat non segniter artes:
Excitat & fontes, quibus olim docta virorum
Ora rigata, illum sustollent laudibus, in quas
Tempora nil quicquam sibi juris edacia sumant:
Et quibus, imperiosa licet, tamen ipsa potestas
Parcarum cedat, volvendis sedula fufis.
Hæc & tanta, inquã, quibus unq₃ laudibus æquẽ?
Non si in precipiti vidissem somnia monte
Virginibus Bromiõve sacro, totumq₃ bibissem
Fontem illum, alati quem præpetis unguis fodit:
Talia ritè meo percurrere carmine possem.
O quantas segetes veræ consurgere laudis,
O quantum cernemus opus? quæ gloria, quæq₃
Fama hinc, ingenuis veniet celebranda Camœnis?
Ergo omnes quibus & Musæ & sapientia curæ est,
Huic operi favisse velint, fœcundaq₃ mentis
Pectora concutiant, & amatas cuilibet artes
In commune ferant, ceptisq₃ ingentibus adsint.
Nulli etenim fomes nutritrixve ignobilis oti
Vita fruenda data est: missas in fercula glandes
Dedidicit mortale genus, jam fruge reperta
& Muneribus superũm magnis, fatisq₃ benignis,
Improba latrantis pellit jejunia ventris.
Non etiam desunt juncti consortia cœtus,
Contiguaq₃ case & vitæ communia jura.
Nec res ulla magis nostris accommoda rebus,
Et mage chara Diis: cernes succedere secla
Aurea, Musarum cernes succrescere laudes.
Nonne vides Iove nata olim, Tritonia virgo
Et quæ

Et quæ Munychias defendit cuspide terras,
 Egida celatam portans, asperrima bellis,
 Armorumq; potens: ut fulget Gorgone miti,
 Miteq; sanguinea nutant in vertice crista?
 Qua duce permulti poterunt consurgere ad astra,
 Et claro summum contingere vertice cœlum.
 Cura aliis fuerit sacros evolvere libros,
 Et fidei secreta pie: quo nempe profundi
 Aurea dante piis referetur janua cœli.
 Ast sacrarum alii solvent enigmata legum
 Et juris nodos: quo res sit publica pacto,
 Quo privata gerenda: & qua ratione tuenda
 Munera Iustitiæ. Nam tu sanctissima mater
 Immani turbata chaos atq; horrentibus umbris
 In claram quondam sudisti secula lucem.
 Tu primū obscuris homines Dea maxima ab an-
 Eductos facili docuisti assuescere cultu: (tris
 Tecta q; vicinis componere proxima muris.
 Te monstrante fidem, leges, rectumq; fovemus,
 Te duce punimus pravi consortia cœtus.
 Quin & qui duri contagia pellerè morbi,
 Quiq; Machaonias homines juvisse per artes
 Possint, hoc nostro complebunt pocula fonte.
 Non illos fugiet, ventura semina pestis
 Quo pellenda modo, nec non quo morbida ferro
 Ulcera scindantur, ne pars illesa trahatur.
 Attulit has clades olim mortalibus ægris
 Ira Iovis, postquam splendentis sustulit ignis
 Iapeto natus de summo semina cœlo.
 Illinc prima mali labes & in ordine multæ
 Morborum species terras cepere jacentes.

D

Tracta-

Tractabunt alii multis sudoribus artes
Humanas, tripliciq³ ornabunt pectora lingua:
Orabunt causas & pleno verba theatro
Effundent, verumq³ alterno texere nodo
Nitentur, numerosq³ in docto pulvere scribingent,
Et doctas certa ducent ratione figuras.
At quibus hæc ingrata & duri plena laboris
Esse videbuntur, faciles addiscere Musas
Hi satagent, solis concessas atq³ poetis
Illecebras noscent, gustabuntq³ aurea vitæ
Degenda præcepta, & regni flectere habenas
Scite condiscant: aut in penetralia magna
Naturæ ingressi, causas cognoscere rerum
Obscuras cupient: quoniam aurea sidera motu
Circū elementa meent, quo cursu Cynthius orbem
Perlustrat, toties cur Phœbe lumina mutet.
Cur tam longa dies Cancrum nunc Sole tenente,
Cur nox adverso sit longior in Capricorno.
Vnde fluant venti, quis nā ignea fulmina mittat,
Quæ terram quatiant vires: cur nubila venti
Dispellantq³, fugentq³, alii, cœlumq³ serenent,
Contra alii ad sese constanti lege reducant
Historias alii, vitæ quoq³ gesta prioris
Evolvent, arma atq³ acies & prælia dicent,
Et cum magnanimis cognoscent regna Monarchis.
Tu tantum Deus alme, paterq³ hominūq³, Deumq³
Longius à nostris depellito fontibus omnes
Virosas tetrasq³ feras: procul inde chimææ,
Immundiq³ canes absint & amica lutosus:
Et violator aquæ longè turpissimus, hydrus.
Ast adsint atq³ hinc gustent animalia pura:
Florilegæ

Florilegæ hîc glomerêtur apes: quibus est labor in-
 Vere novo, Zephyris flores felicibus ortos (gens
 Per prata & rignos sectari suaviter agros.
 Callirhoë hac sedentq; sitim, quibus est amor ar-
 Palladias artes & pectora docta tueri. (dens
 Deniq; Castalidum fons hic gratissimus esto,
 Quiscateat vivatq; omni memorabilis ævo.



AD HORTATIO AD
SCHOLASTICAM IUVENTU-
 tem, habita à Philippo Camerario
 I. C. & Reipub. Norib.
 à Consiliis.

Rudenter à veteribus, Generosi, No-
 biles, & studiosi adolescentes (ad vos
 enim potissimum, jussu & nomine D.
 Scholarcharum, sermo meus jam
 instituitur) dictum est: Rempub.
 tribus maxime rebus consistere, Præmiis, pœnis,
 cultu divino. Ea, ut necessaria, ab iis, quibus
 Respub. cura fuit, diligenter & sedulo observata,
 & custodita fuere. Quæ quidem tria capita, cum
 quoq; in cœtibus scholasticis, qui Reipub. non po-
 strema pars merito habentur, requirantur, ut de
 prioribus duobus sermonem nostrum in tempus
 commodius differamus, sapienti certe consilio ab
 amplissimo senatu nostro, & D. Scholarchis, ne
 D 2 quid

quid hac in parte desiderari possit, institutum est, ut quotannis iis, qui præ cæteris in studiis liberalioribus specimen aliquod diligentie suæ palam præbuisserent, ex liberalitate ipsorum premiola aliquot distribuerentur. Etsi enim potissimum vestra res agitur, vobisq; in primis ex sementi hac, licet ea serotina videri nonnullis possit, messis copiosa, fauente Deo, expectanda est; tamen cum vestri labores, studiaq; inchoata, aliquando etiam publicæ utilitati inservire possint, hæc premiola, quorum explicationem eruditam jam audivistis, tam strenuis, quàm segnioribus, veluti calcaria, in cursu cœpto, ut citius & majori alacritate ad metam optatam pervenire possitis, adhibenda fuere. Etenim quemadmodum fruges aëris temperie, liquidioraq; cælo exuberant, hæc secius bonæ artes, eximiaq; ingenia, benignitate, honorificentia, humanitate evocantur & excitantur: contraq; incuria, sordibus, morositate eorum, qui rerum potiuntur, restringuntur & languescunt. Quis enim obsecro est, qui, si præmium laborum suorum, vel habet, vel expectat, non ad omnia alacrior & promptior reddatur? & ut Claudianus in laudibus Stilliconis ait,

Egregios invitant præmia mores.

Cum igitur conspiciatis, & re ipsa sentiatis, ampliss. senatum & D. Scholarchas non pati studium suum eximium, & peculiare, nullum requiri, in iis, quæ vel ad excitanda, vel excolenda, vel etiã exornanda ingenia vestra attinent, sive disciplinam, sive pietatem (his enim veluti duobus lapidibus

dibus angularibus, hanc scholam fundatam esse volunt) sive spectes alia, quæ & honorifica & conducibilia vobis esse possunt; tunc nihil aliud nunc restat, nisi ut gratum animum vicissim exhibeatis. Siquidem hoc unicum à vobis expetitur. Quemadmodum autem ingratus, secundum Senecam, is dici potest, qui negat beneficium se accepisse: Ingratus qui non reddit: Ingratus qui dissimulat: Ingratissimus omnium qui oblitus est; Hinc videmus, quòd natura nihil magis odio prosequatur, quam ingratum animum, quæ etiam bestiis feris, ut Elephantis, Leonibus, Draconibus, sicut historia hoc testantur, grati animi sensum, beneficiorumq; memoriam indidit: Ita animi grati tres partes recenseri possunt: Beneficium sibi collatum agnoscere; Verbis id profiteri; Aliquid rependere suo benefactori. Priora duo facilia esse dicetis, & jam quoq; genere nobilis, & ingenuis moribus optimaq; spei adolescens, condiscipulus vester, elegantiarum carmine heroico, vestrorum omnium nomine, egregium hac in parte specimen exhibuit: Verùm tertium difficile videtur. Quid enim (ita certe interrogati respondebitis) nos cætus adhuc pusillus, & imbecillis, rependere benefactoribus possumus hoc tempore, qui ob ætatem teneram & rudem, aliorum adminiculis magnopere indigemus? Dicam paucis. Nam prolixiorum sermonem ratio temporis modò non patitur. Duo sunt genera gratorum hominum, Dicitur gratus qui aliquid pro eo, quod acceperat, reddit: Dicitur etiam gratus, qui bono animo accepit beneficium:

Atq; hic, si ultra facere nil potest, gratus est, amat, debet, referre gratiam satagit. Quicquid ultra desideras, non illi deest. Vnde fit, quod nonnunquam qui gratiam retulit, ingratus est, & qui non retulit, gratus. Etenim ut omnium aliarum virtutum; ita hujus, quæ a Græcis χάρις nuncupatur, ad animum tota æstimatio redit. Huc respexit Cicero in Philip. ubi dicit, quanq̃ gratia referri tanta non potest, quanta debetur, habenda tamen, quantam maximam animi nostri capere possunt: Siquidem gratiam, & qui refert habet, & qui habet in eo ipso quod habet, refert. Hoc etiã Hesiodus charitum ternario numero significare voluit, constituit enim tres actus distinctos in beneficiis, quæ ultro citroq; dantur, ut sunt, dare, accipere, referre. Αγλαία enim, quæ est splendor & dignitas, monet, ut qui accepit beneficium, illud agnoscat, & prædicet: Ευφροσύνη, vel hilaritas, monet datorem hilarem esse debere, utq; sine morositate & tergiversatione beneficium conferat; Juxta dictum Euripidis: Qui cito præstat gratiam, dulcissimus mortalium est. Θαλασσα, florida, monet ut beneficia in recenti memoria conserveamus, neq; flaccescere ea sinamus; quo respiciunt Theocritea,

χρῦσοι πάλαι ἄνδρες ὅτ' ἀντεφίλησ' ὁ
φιληθεῖς.

Intuentur hæ tres Gratia se invicem complexis manibus, ut redditio beneficii notetur: Virgines finguntur, & nude, quo indicatur simplex candor, néve quis donationis prætextu cuiquam insidias

insidias struat, Vnde Ajax apud eundem Euripid. dicit, ἀδωρα τῶν ἐχθρῶν δωρα. Deniq³ juvenes sunt, quia non debet beneficiorum memoria senescere.

Ex his, ut opinor, rectiss. cognoscetis, quid à vobis desideretur, quidve facile prestare possitis. Siquidem qui grate beneficium accipit, is jam primam ejus pensionem solvit. Hoc sane à vobis fiet, ut apertius dicam, si in primis erga Deum, pie & religiose, erga preceptores vestros, obsequentes & morigeros studiososq³ disciplina; erga condiscipulos, & sodales, humanos & benevolos; erga cives, deniq³ erga omnes homines, modestos & amabiles vos geratis. Ex hoc veluti fundo hortove amœniss. Musarum, proveniunt suavissimi fructus (liceat radices, sicut modo clarissimus vir, Rector vester, admonuit, amare videantur) liberalium artium, & disciplinarum, quæ propterea humane appellantur, quòd homines humanos, & veros homines efficiant, eosq³ paulatim, emollita feritate innata, ad liberaliora ornamenta & emolumenta adducant: Adeo nullum est majus donum, ut Plutarchus in vita Coriolani ait, quod acceptum bonitati Musarum homines ferre debeant, quàm quòd doctrina & disciplina emolliuntur & mitigantur ingenia, modumq³ tenere, & nimia omnia vitare discunt. Hoc si feceritis, sicut omnibus persuasum est, amplissimus senatus & D. Scholarcha, quibus vinculo arctissimo ob ipsorum beneficia obstricti estis, non solum in numerum gratorum & gratiosorum vos recensebit; verum

etiam vestra pietate, diligentia, modestia, efficien-
tis, ut deinceps in amplificanda & ornanda hac
schola, nihil, quod par est, in iis desideraturi sitis.
Id sane absq; minore difficultate efficere poteritis,
si certo statuatis, Deum esse omnium vestrarum
actionū, cogitationumq; inspectorem, qui propter
ea solus ὁ θεὸς ὁ ὄψωνος in sacris literis dicitur.
Oculi enim Domini altissimi, ait Siracides, luci-
diores sunt innumerabilibus modis Sole, qui intu-
entur omnes vias hominum, & considerationem
intendunt in partes occultas; Quod etiam Me-
nander, licet gentilis fuerit, animadvertit, ubi di-
cit, οὐδὲ θεὸς ὁφθαλμὸς εἰς τὸ πάντα ὄραρ. Qui-
bus recte piissimas preces Aurelii Prudentii ex
suo hymno matutino adiungetis, quæ sunt tales.

Hæc lux serenum conferat,
Purosq; præstet sibi,
Nihil loquamur subdolum,
Volvamus obscurum nihil:
Sic tota decurrat dies,
Ne lingua mendax, nec manus,
Occulive peccent lubrici,
Ne noxa corpus inquinet.
Speculator astat desuper,
Qui nos diebus omnibus,
Actusq; nostros prospicit,
A luce prima in vespere.
Hic testis, hic est arbiter,
Hic intuetur quicquid est,
Humana quod mens concipit,
Hunc nemo fallit Iudicem.

Ceterum

Ceterum ut hortatiunculam hanc finiam, li-
cet vos universos et singulos, qui jam premiola ac-
cepistis, teq³, charissima juvenus, quæ pietati & li-
beralibus artibus nomen suum dedit, alloqui ver-
bis Horatianis, quibus in epistola ad Iulium Flo-
rum, Prætor suum militem ita compellat,

I bone, quo tua te virtus vocat, i pede fausto,
Grandia laturus meritorum premia &c.

D I X I.

A Meridie acta est Tragoedia Ioannis
Baptistæ, autore Buchanano.

F I N I S.

D S O R A.

ORATIO,
ALTORFII AD
DIEM XIII. APRILIS,
ANNO CL. I. LXXIX. HA-
BITA PER

JLLVS. ET GENERO-
SYM DOMINVM IOANNEM,

*Comitem ab Ostrorog, cum suo fratrisq;
Nicolai nomine, propediem
discessurus,*

Rectori & Scholæ professoribus
studiosisq; valediceret.

ITEM:

*Joan. Thomæ Freigii Recto-
ris Propemptica oratio, ad eun-
dem Comitem.*

ORATIO



ORATIO IOANNIS,

COMITIS AB OSTRO-

ROG.



*E*tsi, viri amplissimi, praeceptoresq;
humanissimi, auditores atq; condi-
scipuli nobilissimi charissimiq;, me
non lateat, in hoc loco, ad agendum
amplissimo, ad dicendum ornatissi-
mo, verba facturum, nil nisi ingenio perfectum, &
elaboratum, in medium afferre debere: fretus ta-
men illa vestra benevolentia, qua haectenus erga
me fratremq;, meum usi estis, non me hercle inanis
gloriolae, aut ostentationis captandae gratia, has
perorandi partes assumendas existimavi. Sed po-
tius ut grati erga praeceptores discipuli, nec non
erga commilitones meos, perpetuum amoris mei
iudicium (quod hac exili declamatione testatum
volo) declararem. Sed praeceptorum in docendo
industriam & perspicuitatem, in instituendo me-
thodum & ordinem, in erudiendo fidelitatem, si
mihi centum ora linguaq; essent, in hac aetate vix
satis persequi possem. Qui in artibus, quae circa ser-
monem versantur, cum subtiliter, tum perspicue
& utiliter progrediuntur: nec non Theologica,
Ethica, Politica, & historica scripta, ab iisdem e-
legantissime enucleata, studiosae juventuti facilius
concoquenda proponuntur. Quarum omnium
artium

artium & disciplinarum qualis & quantus sit usus, licet non possim explicare, (meis enim viribus id onus impar est,) tamen ingenii exercendi, & industriam doctissimorum præceptorum cōmendandi gratia, earum utilitatem, in vestro congressu, perstringendam existimavi, de qua jam eo ordine, quo proposui, dicere auspicabor.

Et quantum quidem ad primam artem, scilicet Grammaticam, attinet, ejus usum duplicem eruditi tradunt. Primus consistit in sermone puro & usu perpetuo, Alter verò in scribendo seu stylo exercendo: Quorum utrumq; vobis, condiscipuli charissimi dulcissimiq;, à præceptoribus declaratum minimè dubito. Grammatica enim futuro Logico non modo utilis sed etiam necessaria est: Cuius cum sit de rebus differere, quomodo quaeso id perficiet, sine sermone puro, & nostra etate utilissimo Latino? qui non aliunde quàm è Grammatica peti solet. Quomodo disputabit, si animi sensa exprimere non poterit? quæ omnia Grammatica suppeditat. Rhetor quoq; sine ea floccipendetur, cui si turpe sine ornatu dicere existimatis: quanto turpius eundem in Grammatica errare ducetis? Theologia etiã & Politica sine ea consistere neq; quarum illa controversias in religione, hæc ataxiam in Rebusp. sine sermone latino tollere vix poterit. Illa. n. hebræa, græca & latina lingua maxime indiget: hæc verò sine latina consistere nequit, qua totum ferè præcipuum jus scriptum est. Ethico quoq; necessariam duco, cum enim ethicus sit is, cui malum fugiendum, & bonum sequendum sit

propo-

propositum, certè natura ipsa, absq³ harum artium institutione, ethicus vix erit, quæ quoniam Grammatica indigent, eum quoq³ ea non minus opus habere puto. Historicum verò num quis ea carere posse existimat? mea quidem est sententia, eum ridiculum fore, qui non res gestas aptè & congruè describere possit. Quod tamen magis in secunda Grammatices utilitate, nimirum in commoda descriptione spectatur. Quas utilitates cum à præceptoribus nostris, in omnibus his disciplinis ad usum accommodatas habeamus, meritò illas sequi & Grammaticam magnificare deberemus. Sed hæc de Grammatica dicta sunt.

Maiorem verò multò Logices duco utilitatem, quam omnium artium quasi instrumentum saniores philosophi esse affirmarunt, & in ea tractandi methodum & rationem sitam esse censuerunt: Quæ cum hæc doceat, non minus certè professori cuiusvis artis, ipsa arte, in qua versatur, usui erit. Nam nisi quilibet in arte sua certis rationibus niteretur, professio eius nequaquam scientia, sed casu quodam consistere diceretur, et sic nec ars ejus hoc nomine rectè appellari posset, nec sine ejus methodo quicquam ordine proponi aut tradi, nec ab aliis percipi posset. Nam ut acies, si sine ordine steterit, impetum hostium sustinere non potest, sic miser est quilibet in professione sua, qui in ea sine certa methodo ac ordine progreditur: is enim similiter adversario suo resistere non poterit. Logica itaq³ in omnibus artibus & disciplinis non modo invenire docet ea, quæ sunt necessaria,
& eorum

& eorum rationes annectere, sed inventa dispo-
re, & num recte disposita sint, judicare: nec imme-
rito ob hæc officia dicta est ars artium, & scientia
scientiarum. Multi præterea alii, fere innumeri
sunt hujus discipline usus, quos omnes recensere,
temporis brevitatis non patitur.

Simili ratione Rhetorices quoque usum non mi-
norem censeo, quæ cum ad alias artes, tum maxi-
mè ad Theologiam, Politicam, & Historiam, præ-
cæteris certè accommodari referriq; potest. Ejus
enim in Theologia tantus usus est, quantus & Lo-
gices, ut enim Logica rectè dividere ac distingue-
re (quod cuilibet necessarium est) docet, sic Rhe-
torica, de rebus divisis copiosè, ornatè & dilucide
dicere. Itaque ea veteres nihil utilius, nihil ad me-
moriæ levandam, nihil in multis rebus utilius
esse duxerunt: Vnde et Tertullianus, aliquoties ab
hereticis vexatus, sæpenumero cõquestus est, pau-
cos oratores sua ætate extitisse. In Politicis quoque
hujus artis utilitas maximè elucet, quid enim in
Rebus pub. sine ea efficere possemus, nisi hos rheto-
ricos colores ad permovendum animos adhibere-
mus? Nam qua quæso alia re (ut reliqua exem-
plataceam) claruit Demosthenes, Æschines, de-
niq; princeps oratorum Cicero? qui humili natus
loco, ad tantos honores in Repub. per hanc artem
& illam divinam eloquentiam pervenit, ut illi
comparandi pauci, præferendus certè nemo fue-
rit. Julius quoque Cæsar profectò non tam alacrem
militem, nec tot felices successus habuisset, nisi sem-
per suos cohortatus oratione excitasset. Multi præ-
terea

terea Clari viri in hac arte sunt, & fuerunt, quos
omnes commemorare tempus ipsum non patitur:
& ut paucis dicam, Rhetorica est ad omnes ho-
nores in Rebus pub. janua aperta. Historico ve-
rò tam necessaria est, quam ipsa scribendi mate-
ria. Qui enim historias scribere cupit, is non tan-
tum res gestas describere, sed etiam ornatum Rhe-
toricum adhibere, & praestantiores orationes in-
terferere debet. Eo enim historia jucundior erit,
si non tantum res gestas, verum etiam usum arti-
um in se contineat. Et haec de Rhetorica dicta suf-
ficient.

Sacrosanctæ jam Theologiae usus & utilitatis
immense explicationem, ne hanc caelestem doctri-
nam sicco pede praeterire videar, (quantum ex
me fieri poterit) aggrediar. Quantum ergo ad u-
sum ejus attinet, is primus & praecipuus consistit
in agnitione vera patris, filii, & spiritus sancti,
qui se in verbo per Prophetas & Apostolos tradito
patefecit, & nobis, quis & qualis sit, declaravit:
quod beneficium profectò summum & merito in-
effabile dici potest. Quid enim quaeso pejus fieri
potuisset, quam nos, qui creatura Dei sumus, con-
ditorem nostrum ignorare? quod in ethnicis ma-
nifeste & aperte videre licet, qui sciunt quidem,
Deum quendam illos condidisse, sed quis nam ille,
qualisve sit, maximè eos latet. Econtra verò nobis
hoc summum Dei opt. max. beneficium agnoscen-
dum est, quod nos non tantum homines, verum
etiam agnitionis sui participes, & vineæ Christi
palmites esse voluerit: Et id pra oculis habentes,
illò

illi gratias agere, & hanc doctrinam, in qua se nobis patefecit, minime negligere debemus. Præterea usus hujus doctrinæ, non in hac solum caduca & temporanea hujus mundi vita spectatur, verum etiam & multo magis in illa sempiterna clucet, Qua homini Christiano nihil jucundius, nihil magis desiderabile esse debet. Ut enim impiis æterna pœna et sempiternus cruciatus (nisi resipiscant) decretus est: sic piis quoq; Christianis æternum gaudium, letitia, & conspectus vivi Dei (si ad finem perseveraverint) paratus est: Quem certè omnes, omnibus modis, præ cæteris omnibus rebus expetere debemus: ad quem cum Theologia adiutum paret, minimè certè omittenda erit ulli homini Christiano. Multas deniq; & infinitas Theologia habet utilitates & commoda, quibus omnibus enumerandis vix Rhetoris alicujus eloquentia sufficere posset. Quare hæc à me breviter de Iustitiæ cælestis instructione dicta sunt: accedam ad illam vitæ morumq; gubernationis in hoc curriculo explicationem, & de Ethica nostra, ut de superioribus, paucis disseram. Quæ quoniam magis est humana quàm divina, hoc est, magis in hac quàm in illa vita spectatur, ad usus ejus explicationem propius accedam, qui ad hanc vitam temporaneam et caducam informandã pertinet. Quod vel ex virtutibus ipsis, quas sequendas proponit, et vitiis, quæ fugienda suadet, uberrimè quilibet colligere potest. Nam Ethica nostra tradit, quemlibet debere esse fortem, qui parva pericula non contemnat, magnis verò non deterreatur, nec
in iis

in iis animum despondeat, si forte in eum irruant, sese tamen illis spontè non offerat. Eadem prohibet audaciam temerariam, quæ etsi quidem etiam magnis periculis non deterretur, sed tamen in ea sine ratione ruit. Vetat quoq; timiditatem, quæ etiam parvis, nedum magnis periculis oblatis animo decidit. Præcipit quoq; nostra moralis philosophia, ne nos nimis voluptatibus dedamus, sed corpori nostro ea, quibus opus habet, ita suppeditemus, ut illi necessaria non desint, superfluis non abundet. Injungit præterea hæc vitæ nostræ informatrix cuilibet, ut liberalitatem exerceat: Quæ nos non nostra solum causa natos & in hanc lucem editos commemorantes, iis, quibus opus est, de bonis nostris aliquid impertiamur: nec semper ea, quæ nobis dantur, & quæ etiam accipere licet, accipiamus. Eadem nos tantum dare aliis, ut ipsi post egestate & inopia omnium rerum laboremus, prohibet, & vetat, ne omnino opibus inhiantes, & plus quam opus est, & unde non opus est, accipientes, aliis egentibus nihil tribuamus. Quod cum omnes homines, tum maxime nos, qui Christiani vocari cupimus, præ cæteris maxime vitare decet. Hanc enim ipsam avaritiam et ethnici odio habuerunt, & eam turpem ducentes, ejus sectatores non minus turpes judicaverunt: ut eleganter ait Horat. lib. 1. Serm. Sat. 1. ubi avarum sic describit:

Tantalus à labris sitiens fugientia captat
Flumina: Quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur, congestis undiq; saccis
Indormis, inhians, & tanquam parcere sacris

E

Cogeris,

Cogeris, aut pides tanquam gaudere tabellis.
An vigilare metu exanimem noctesq, diesq,
Formidare malos fures, incendia, servos
Ne te compilent, fugientes: hoc juvat? horum.
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.

Nec multos puto avaros esse, qui felices succes-
sus a Deo suo Mammona adepti fuerint. Vt enim
antiqua exempla pratercam, unum, quod nostro
accidit aeo, breviter persequar. In Nicaragua,
quod novi orbis regnum est, mons est flammivo-
mus, qui per ingentem craterem tantos saepe flam-
marum globos eructat, ut incendia latissime noctis
reluceant: unde nonnullis fuit opinio, intus lique-
factum aurum esse perpetuam ignibus materiam.
Itaq, dominicanus quidam monachus, & prater-
ea duo Hispani, scienda hujus rei cause avidi, se-
metipsos tribus corbis in ardentem illum crate-
rem demiserunt, ahenum autem & catenam fer-
ream fabricari curaverunt, eamq, in caminum
demiserunt: ubi ab ignis calore ahenum cum par-
te catene liquefactum est: nec tantum resolutus
lebes evanuit, verum etiam repente flamma glo-
bus è profundo exiliens, propemodum & fratres &
socios consumpsit. Et hoc sit exemplum temerarie
audacie, cum summa avaritia conjuncta. Nec
minus observanda est avarorum simulatio & fu-
cus, & de iisdem vulgi opinio.

Fallit enim (ut poëta ait) vitium specie virtutis
& umbra,

Cum sit triste habitu, vultuq, & veste severum,
Nec dubie tanquam frugi laudatur avarus,

Tanq.

Tanquam parcus homo & rerum tutela suarum
Certa magis, quam si fortunas servet easdem
Hesperidum serpens aut ponticus, adde quod hunc, de
Quo loquor, egregium populus putet atque verendum
Artificem, quippe his crescunt patrimonia fabris.

Et haec de avaritia sufficiant: nunc ad reliqua ea, quae ethica nostra precipit vel prohibet, revertar, nam haec nostrae regula vitae non modo has, de quibus dixi, virtutes suadet, nec tantum vitia jam enumerata vetat, verum etiam magnanimitatem & magnificentiam, quae utraque in viris claris spectatur. Quarum haec circa sumtus & opera magnifica, ut circa aedificia, montes excavandos, fluvios avertendos, moles in mare jaciendas, versatur: Illa vero se honore digno pro meritis dignam putat. Eadem nostrae vitae magistra harum extrema cavenda suadet: Ut si forte, cui sumtus suppetant, ne iis in rebus honestis parcat, neve aut sit sordidus aut iisdem ad turpia utatur: praeterea quoque honorem, aut nimis petere, aut omnino non petere prohibet. Innumeras insuper habet virtutes, ut sunt, Popularitas, Urbanitas, Humanitas, Clementia, Veracitas, & reliquae per plures. Sed ut tempori serviam, de iis plura non sum dicturus: ad illud adhuc precipuum virtutis genus, scilicet justitiam, deveniam, cuius virtutis qualis et quantum sit usus, vel hinc conjicere licet, quod ea omnium virtutum sit quasi sedes & officina, ita ut nemo justus esse aut recte dici posset, qui in aliqua virtutum enumeratarum peccaverit. Quare hoc erit illius commodum, ut qui ei satisfecerit, omnibus

virtutibus satisfecisse dicatur. Idcirco summopere cuilibet manibus pedibusq³, elaborandum est, ut in hac virtute quam maxime excellat: Nec solum eam sequatur, quæ vulgo particularis vocatur, & quæ in privatis quoq³ contractibus versatur: sed multo magis in universali, quæ omnibus legibus satisfacere conatur, excellere enitatur. Nec existimet tantum eam virtutum illarum quasi sedem esse: sed potius cogitet, ex ea vinculum illud totius generis humani, nimirum jus, ortum esse: quod quidem duplex est, naturale & civile, quorum hoc singula monarchiæ & Respub. gubernantur, illo verò totum & universum genus humanum utitur & continetur: Quod ideo, quia à Deo hominibus innatum sit, divinum, quòd verò omnibus populis in usu sit, gentium non ineptè appellatur. Cum enim statim, post mundum conditum, genus humanum propagatum esset, hoc jus in usu esse cœpit, & semper hæctenus usurpatum fuit: cujus exempla plurima in historiis, tam sacris quam prophanis, passim occurrunt. Et ut eo conservato totus status hujus orbis continetur: sic violato, multas sepe Respub. perisse videmus. Quare neminem, in hac se ab ineunte ætate exercuisse, poenitere debet, sed potius versus illius meminisse decet:

Iustitia in sese virtutes continet omnes.

Sed quoniam non est hujus loci, nec temporis, de hisce rebus copiosius differere, jam finem Ethices utilitati declarande faciam, & de Politica, quæ circa Rerumpub. habenas & gubernacula versatur

satur, agere incipiam, cuius quidem utilitas longè
lateq; in Rebuspub. spectatur. Quid enim quæso
esset ordinatum inter homines, nisi politicus ordo
conservaretur? num artes liberales excoli possent,
si sine certo ordine omnia in Rebuspub. ageren-
tur? num & cœlestis doctrinae institutionem rectè
ac tutò proponi posse putes, si magistratui (qui Ec-
clesiã tueri ac protegere debet) nullus locus esset?
Si etenim jura & magistratus (ut Anabaptista
delirant) tollerentur: nihil in rerum natura suo
ordine procedere posset, nec quicq; tam firmum,
tamq; stabile esset, quod nõ petulantia ac libido im-
proborum hominum labefactaret. Vt. n. Deus Opt.
Max. Theologicam doctrinam contra hostem no-
strum spirituales, cacodæmona, impertitus est, ne
nobis inopinantibus aut ignaris vim aliquam in-
ferat, & ut inter nos per eam controversias in re-
ligione componamus: sic quoq; jus in Politicis ad
gubernationem Rerumpub. constituit. Ideoq; ma-
gistratui gladium attribuit, ut eo in juris violato-
res utatur: & Rempub. ita moderetur, ut optimis
legibus instructa hostium impetum facilius susti-
nere possit. Nec temere monarchæ non tantum co-
ronantur, sed iis sceptrum quoq; & pomum cruce
superaddita datur, nec non gladius præfertur nu-
datus. Et sceptrum quidem aureum ideo addi pu-
to, ut subjectos suos obedientes aureis gubernent
legibus, & eos molliter regant, splendorem tamen
monarchiæ & magnificentiam regalem conser-
vantes. Pomum vero, cruce superfixa, ideo addi
existimo, ut non solum se orbis Rotundi monar-

chas esse, & eum politicè regendum sciant: sed et-
jam Ecclesiæ Dei, quæ cruci subjacet (cujus tuto-
res ac protectores esse debent) memores existant.
Gladius verò ideo illis præfertur ferreus & distri-
ctus, ut eos, qui secundum jura & leges vivere no-
lunt, eo duriter coherceant, in eosq; animadver-
tant: nec non etiam hostem Reipub. fortiter pro-
pellant. Sed ut ad propositum redeam, Politices u-
sus in ordinis, & humani generis conservatione,
& attaxias evitacione maximè consistit, quæ (ut
puto) cuilibet vestrum luce meridiana sunt cla-
riora. Quod cum ita sit, nemo esse debet, qui hujus
gubernationis et politices artem non addiscere cu-
piat: quam quilibet, tam is qui Respub. successu
temporis regere ac gubernare, quam qui easdem
consiliis juvare voluerit, bene scire debet. Quare
cuilibet, eam diligenter discendam, suadeo, quæ
facilimè ex jure, (in eo enim maximè consistit, &
eodem continetur) addisci potest. Quoniam ve-
ro, commilitones optimi, in hoc celebri Gymnasio,
nec institutorum in docendo facilitas, in erudien-
do methodus, in instituendo fidelitas, nec temporis
ocasio desit, meritò illam discere à primis incuna-
bulis debetis, nec quicquam temporis quæso negli-
gite, memores versuum:

Nec quæ præteriit cursu, revocabitur unda,

Nec quæ præteriit hora redire potest.

Sed jam ad ultimam illam partem, nimirum
ad historiam, decurram, cuius usus in artibus non
minimus spectatur. In ea enim multa eleganter
& purè elocuta, breviter & argutè disserta, copio-
se &

se & ornatè dicta continentur. Quid quòd tam
prestantissimorum Theologorum, quam Domini
martyrum, exempla quasi viva nobis ob oculos
proponit? nònne ibi viva ethicarum virtutum
imagines comprehenduntur? quibus citius quam
Ciceronis alicujus oratione, dum illarum premia
proponuntur, ad easdem sequendum impellimur.
Nònne politiarum ibidem norma, ex quibus juris
utilitas colligi potest, continentur? Nònne histo-
ria detectat? nònne commodum affert? nònne bo-
na sequi, dum eorum bonum exitum declarat,
mandat? nònne mala vitare, dum adversum eo-
rum finem ostendit, imperat? nònne heroum cla-
rorum memoria nos ad eorum bona facta sequen-
da inducit? Nònne improborum pœnis nos ad
mala fugienda impellit? Quid deniq; in vita hu-
mana est factum, cujus per historiam compotes
tanquam in speculo non fiamus, si modo illi incum-
bamus? Et supra hæc omnia vel propter hunc u-
nicum usum minimè est negligenda, quòd nos in
uno manentes loco, quid in toto orbe, ab eo condito,
usq; ad nostra secula acciderit, multò commodius
quam mille peregrinatores scire possumus, qui pro-
fectò nunquam omnia (de quibus historia scribit)
loca perlustrare possent, nec quæ ante mille, ne-
dum plures, imò longè pauciores acciderunt an-
nos, cognoscere. Quare cum harum artium omni-
um tantus sit usus, minimè certè sunt negligenda.
Quid enim pulcrius est nostro seculo, quam con-
gruè loqui, acutè differere, copiosè & ornatè dice-
re? Quid jucundius & utilius, quam quis & qua-

lis Deus noster, quomodo ve colendus: quomodo
Respub. in quibus versamur, vel regenda ac gu-
bernanda, vel consiliis juvanda: Quomodo vita
nostra honeste ac convenienter moderanda sit:
Quomodo ve insuper res hujus mundi, ab eo con-
dito usq₃ ad nostra secula processerint, non ignora-
re. Sed quid ego harum artium & disciplinarum
utilitates commemorem aut commendem, cum
vos, commilitones optimi, ex lectionibus, quae vobis
quotidie proponuntur, easdem non minus ac apes
ex optimis quibusq₃ flosculis mel percipiatis, & ut
ad me redeam, ingenue fateor, me a 6. Kal. Iunii
anni praeteriti, ad hodiernum usq₃ diem, tanquam
in amplissimo uberrimoq₃ optimarum disciplina-
rum campo, juvenilem aetatem meam transegisse,
nec sine fructu radices artium dicendi, & earum,
quae ad vitae moderationem spectant, suscepisse, quae
licet initio amara fuerint, tamen eas diligenti ac
fidei praceptorum institutione ruminabam con-
coquebamq₃, ut mihi nunc melle Siculo videan-
tur dulciores, jucundioresq₃, nec me solum scripta
Poetarum oblectant, qui sub involucris documen-
ta sua insinuare & commendare conati sunt: sed
etiam Historicorum & Oratorum, qui non sub in-
volucris, sed vivis exemplis monarchiarum ordi-
nes & heroes praecipuos descripserunt, & nobis po-
steris immortales per manus tradiderunt: exi-
tusq₃ bonorum magistratum & aliorum probor-
um bonos, malorum vero minus felices, scriptis
persecuti sunt, quibus omnibus quilibet, qui politi-
cus esse & in Rebuspub. versari cupit, optimè in-
structus

instructus esse debet. Cum vero hæc omnes discipli-
næ vobis hic tam à Magnifico D. Rectore, quam à
doctissimis præceptoribus perspicuè proponantur:
rogatos vos, commilitones nobilissimi, charissimi,
in hoc celebri Gymnasio, bonarumq; literarum se-
minario, volui: ut ambabus manibus honesta &
pia exercitia amplectamini: quæ certè vobis olim
usui esse poterunt, & spem parentum vestrorum,
quam nunc de vobis alunt, non fallent. Ponite an-
te oculos artium illam brevitatem, σαφὴν δὲ &
perspicuitatem, & præceptorum vestrorum erga
vos in omni officio benevolentiam, & paternum a-
morem, qui vos doctrina & optimis moribus ha-
tenuis auxere, & multò magis deinceps (si vobis
ipsi non deeritis) augebunt. Ponite quoq; ob ocu-
los vitæ scholasticæ dignitatem & suavitatem:
cordato enim homini & adolescenti bene à natu-
ra comparato, & ei, quem rectè & merito ingenu-
um bonisq; parentibus ortum vocamus, nil grati-
us, nil optabilius contingere potest, quam tempus
illud teneræ ætatis literarum studiis traducere,
artes disciplinasq; omnes cognoscere, Oratorum,
Historicorum & Poëtarum monumenta excute-
re: Quæ omnia prudentes jucundissima duxe-
runt. Proponite deniq; vestris mentibus & animis
immensa præmia & honores in Rebuspub. Impe-
ratorum Regumq; aulis, quæ omnes hos, qui stre-
nue in castris Musarum militant, expectant.
Quare his omnibus moti, tempus & occasionem ne
negligatis, spem parentum vestrorum, qui vobis
abunde sumtus suppeditant, ne defraudetis, florem

*Juventutis vestrae Deo Opt. Max. pro gratissimo
holocausto offeratis, qui (si id feceritis) vestris stu-
diis & optatis successus felicissimos pro sua ineffa-
bili bonitate impertietur.*

*Hæc, auditores optimi, ingenii mei exercendi
causa, vestraq; gratia, crasso (ut aiunt) filo per-
stringere volui, et ut simul animum meum huma-
nissimis et doctissimis D. Præceptoribus, antequam
iter ingrediar, declararem. Idcirco in primis tibi
Mag. D. Rector, deinde vobis, præceptores huma-
nissimi colendissimiq;, pro hac vestra singulari cu-
ra, industria & diligentia, qua me fratremq; me-
um ornando, nostraq; studia amplificando, cum
bonis literis, tum (quod præcipuum est) optimis
moribus & virtutibus (quibus ingenuo adole-
scenti nil charius esse debet) instruxistis, tantas
ago habeoq; gratias, quantas animus meus potest
concipere maximas: Optoq; etiam vobis, nec non
discipulis vestris, commilitonibusq; meis charissi-
mis, in rebus vestris eos successus, quos in me in-
struendo, ornando, & amplificando meriti estis.
Quantum autem ad me attinet. Deum Opt. Max.
ardentissimis votis orabo, ut hanc celebrem scho-
lam, & artium liberalium honestarumq; virtu-
tum altricem, quam diutissime servare, successusq;
eos, quos vobis una cum amplissimo Senatu ve-
stro optatis, pro sua divina ac ineffabili
clementia concedere di-
gnetur.*

ORATIO



ORATIO IOAN. THO-
MÆ FREIGII RECTO-
RIS.

SI quis vestrum est, AVD. qui miretur, cur ego potissimum ad Illustrissimi & Generosi Comitis, domini Ioannis ab Ostrorog, orationem excipiendam surrexerim: eum, ut paulisper suspensio iudicio & admiratione deposita causas eius rei mecum consideret, rogo oroq; perhumaniter. Ita enim fiet haud dubie, ut intelligat animadvertatq; non frustra aut temere esse, quod ego id muneris & officii nunc mihi desumserim, ac ad generosi domini Comitis amoris & benevolentiae plenam orationem respondere voluerim. Nec verò tam ignarus rerum, aut à ratione tam inops sum, ut non intelligam prospiciamq; in quam periculoso quamq; lubrico loco mea versetur oratio. Aliis enim vel superbia quadam et nimio ac tenebro quodam mei amore id fecisse videbor, qui nescio quo spiritu & supercilio tantum mihi tribuam eloquentiae, ut me solum dignum existimem, qui ad Generosi Comitis splendidam ornatamq; & eruditione refertam orationem respondere possim. Aliis verò adulatione quadam instructus accedere ad dicendum videbor, ac ita venire paratus, ut multa auribus dare, ad aliorum voluntatem & gratiam

i. Exordium
ex causis.

gratiam loqui, & Gnathonum more omnia assentari in animum induxerim. Quanquam autem nullum mee aetatis tempus ab eloquentiae studiis abhorruisse, & me dicendi venustatem semper admiratum, ac in optimis quibusque autoribus sedulo venatum fateor: nunquam tamen in eius sive studii sive facultatis arcem mihi evadere contigit, interpellantibus cum aliis molestis, tum studiis huic generi parum convenientibus. Quid enim vel a philosophicis vel à juris studiis videtur plerisque eloquentia alienius? Sed de eloquentia fortassis res non indiget operosa aut magna disputatione: at gravior adversaria in illa adulationis suspicione mihi constituta est. Sed tamen ut eloquentiae gloriolam & illam in mustaceo laureolam ingenue repudiavi & à me detestatus sum: ita & multo magis adulationis crimen à me remotum esse cupio. Nam ingenui hominis, aperti, simplicisque natura tam ab adulatione disidet, quam ignis ab aqua. Nec mihi unquam illi Gnathones placuerunt, qui (ut Comicus ait) quicquid dicas laudant: id rursum si negas, laudant id quoque. Negat quis? negant: ait? ajunt. Homines scilicet digni, qui è flamma cibum petant. At dicet aliquis, si neque eloquentia est, quae te impulit, ut hunc suggestum conscenderes, & ab adulatione tantoperè remotus ac alienus es: at quae tandem causae tam fonticae tamque graves fuerunt, quae te perorandi munus subire coegerint, & invitum propemodum reluctanterque compulerint? De officio si dixerò, satis opinor ad excusationem fuerit: idque tale sane est, ut

est, ut id ipsum libenter cum aliis communicatum
velim. Vnde enim plus molestiae & oneris, quam
fructus aut honoris capias, nemo tam fatuè stultus
aut delirus est, qui non alium quemvis quam se
illo occupatum irretitumq̄, detineri malit. Si igitur
de officio, cuius tacito mandato inductus sum,
ut in hunc locum prodirem, dicerem: sat excusa-
tionis me allaturum existimarem. At de officio,
quo impulsus ad dicendum sum, nihil dicam. Be-
neficia potius, quae ab Illustrissimis et generosis Do-
minis Ostrorogis accepi, haec inquam si me non im-
pellunt, at quiescere non permittunt. Beneficium
quantumvis tenue & exiguum, qui non grato a-
nimo agnoverit: boni viri officio functus non vi-
debitur. Nam & naturae jus, & omnium popu-
lorum legem, illa sua ingratitude lesisse & per-
rupisse iudicabitur. Quid verò eum facere de-
cet, qui non exiguum aut vile beneficium, sed in-
gens & immensum, & quidem non semel duntaxat,
sed iterum atq̄ iterum acceperit? Etenim
quamvis pro generoso vestro animo, adolescentes
generosi, proq̄ tam liberali & magnifica volunta-
te, minimum vobis videri certò scio, quicquid à
vobis in me collatum est: tamen illud, opinor, mi-
hi meo iure concedetis, ut quantum unumquodq̄
est, id tanti facere & possim & velim. Si igitur se-
mel duntaxat vestris beneficiis me affecissetis:
jam intra modum oratio mea se continere posset.
Verum cum beneficium beneficio cumulaveritis,
& vobiscum quasi certamen magnificentiae & li-
beralitatis ceperitis: totam simul gratitudinis ra-
tionem,

Doleo vos
in cito
cedere.

tionem, quantacunq̄ illa omnium philosophorum
& magistrorum præceptis continetur, in me exci-
tare voluistis. Sed ne callide me gratæ commemo-
rationis has partes sumere aliqui putent, cum vul-
go dicatur, nimis sollicitam & anxiam gratiæ ra-
tionem potius beneficii fœnerationem quam rela-
tionem aut agnitionem esse, age de ista re verbum
non amplius addam: & ad id quod instat me con-
feram. Verum enim verò cum attentius quid aga-
tur considero, non potest non fieri, quin ex animo
doleam, vos tam egregiis & animi & corporis &
fortune dotibus adolescentes, tantaq̄, morum ele-
gantia & pietate præditos, tam cito à nobis no-
stroq̄ Lyceo contra & voluntatem & expectatio-
nem nostram abstrahi. Concedetis mihi, opinor, si
in honorem vestræ gentis Polonicæ aliquid hic
præfatus fuero, & patriæ laudem cum vestra lau-
de conjunxero. Ea antiquitus de Polonia vestra
opinio fuit, quòd magis strenuos milites quam ele-
gantia ingenia: & Martis potius alumnos quam
Musarum discipulos progeneraret. At hodie in
quamcunq̄ partem regni vel privatam vel publi-
cam oculos intendas, omnium maximarum re-
rum & artium exempla præclara depræhendes.
Habet primò Regem, non solum bellica laude &
rei militaris peritia singulariq̄, felicitate insignè,
sed etiam pacis artibus & doctrina liberali abun-
dantem, adeò ut in nullum nostræ ætatis princi-
pem Homericum illud elogium jure meliore com-
petat:

ἀμφοτέρω βασιλεὺς ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμη-
τής. Habet

Habet familias nobilissimas & illustrissimas: & quibus Firleorum gens, & necessitudine & animis vobis conjunctissima, primum nostra scholæ jam tum succrescentis lumen extitit. Sed de Firleorum erga ecclesiam Christi meritis, deq; renascen- tis in minore Polonia Evangelii defensione, alibi fortasse dicendi locus erit. Habet & præclarorum ingeniorum proventum insignem, sive sacras lite- ras, sive philosophiam, sive historiam, sive alias quascunq; artes contempleris. Itaq; nisi plane fal- lor hallucinorq;, nescio cui genti hodie Polonia ce- dere debeat: quæ Germaniæ nostræ hætenus con- tra hostes Turcos & Scythas instar muri fuit. In ea tam præclara gente vos natos & in hujus vitæ lu- cem eductos esse, non leve decus existimare debe- tis. Sed ad publicum patriæ vestræ decus, accedit aliud magis proprium ex eruditione & moribus elegantissimis. Nam ut de te potissimum loquar, generose domine Ioannes, admirationi mihi fuit & memoria earum artium, quas apud nos proximo anno didicisti, & amor ingens erga easdem singu- larisq; quidam fervor. Memoriam tuam oratio tua testatur, ex qua non minor laus ad te redun- dat, quàm à te illis artibus tributa est, dum nimi- rum, quas singulas in cælum sustulisti, eas ferè an- ni spacio à nobis hic ita hausisti, ut non in libris, sed in animo inscripsisse omnes videaris. Ad eò non modo Grammatica puritatem cognovisti, Rhetorica ornatum perspexisti, Logica acumen & veri- tatem comprehendisti: sed & Ethica decus & hi- storia vim ac amplitudinem, et in omnes partes la-
te pa-

te patentem usum demonstrasti, & sacrarum literarum majestatem & divinitatem expressisti. Fervor verò erga has artes tuus talis fuit, ut in liberalibus artibus cognoscendis neminem tuæ ætatis mihi videar vidisse ardentiozem. Ita enim flagrabas amore artium, ita incensus eras discendis his nostris, ut nulla neq; præcepta neq; horæ, neq; diligentia nostra tibi satisfactura videretur, planeq; subvereri mihi aliquando contingeret, ne Palladium nostrum, ut Vlysses alter, nobis auferres, & nos omni literarum artiumq; gloria spoliare. Accedit morum tanta modestia, tanta in juvenili ista ætate gravitas, ut nesciam an eruditioni mores, an econtra moribus eruditionem anteponam. Sæpè quidem te de rebus gravissimis differentem, de negotiis ornatè dicentem audivimus & admirati sumus. Sed morum tanta honestas, tanta modestia, tanta in omni officiorum genere moderatio, multò magis nos suspensos & stupefactos detinuit. Atq; hujus rei causas mihi consideranti, neq; Milevius aula præfectus, neque Ionas præceptor tuus frustra tibi ab Illustrissima matre adjuncti videntur, ut nimirum ille morum custos & civilitatis hortator esset, hic te liberalibus artibus instrueret, & eloquentiæ fontibus imbueret: uterq; verò te faceret,

μὴθωρ μὲρ ἔκτῆς ἑμῶν, πειντήρα δὲ ἔργωρ.

Pergite itaq; viri honesti, & discipulos vestræ fidei commissos ea qua hætenus diligentia excolite & ornatè: non modo ab Illustrissima matre & ipsis discipulis vestris, sed etiam a Deo Opt. Max. vestra

vestrae diligentiae premia reportaturi. Cum igitur tantam eruditionem, quantam vix haec aetas capere posse videbatur: cum morum honestatem gravitatemque, considero: dolere quidem cogor ob tam maturum & insperatum vestrum a nobis discessum: sed illud me recreat, quod Argentinensis scholae auditores futuri estis, in qua sitim, quam nostris fluentis satiare non potuistis, vel una Sturmii acroasi affatim explebitis. Nam ut toti Germania nostrae, imò Europae toti satis superque notum est, Suadae ibi medullam invenietis: ubi ipse duntaxat tanti viri conspectus multa docebit demonstrabitque, quae alibi multis mensibus vix contingere potuissent. O felicem doctorem talibus discipulis, & felices discipulos tali doctore! Sed ut ad gratiarum actionem tuam, Illustrissime Comes, veniam, quod ad me attinet, nihil sane tale agnosco in me, propter quod magnificae gratiae agantur. Quicquid enim et quantumcumque feci, id omne mea voluntate et voto inferius fuit: ne igitur ex cloaca arcem facere videar, de hoc quoque silebo: illud potius significabo, multo iustius nos omnes tibi gratias agere debere quam te nobis: & eas partes, quas tibi sumseris, nulli potius quam nobis convenire. Illi enim vulgò gratiae aguntur, à quo beneficium proficiscitur, non in quem collatum fuerit. Si igitur rem recte reputamus, video te tuumque fratrem Nicolaum nostrae scholae adolescenti, & quasi in herba adhuc existenti, tua praesentia illustri, tua ista diligentia, tantaque virtutum praeclararum elegantia: exemplo, decori, & honori fuisse. Ideoque

3. Responsio ad gratiarum actionem.

F

si qua

4. Hortatio.

Si qua iusta referenda gratie ratio est, nobis illa potissimum incumberebat: ideoque in perpetuum nobis honorificum existimabimus, in nostra schola discipulos Ostrorogios Comites habuisse, tot praeclararum virtutum dotibus ornatissimos. Verum ut aliquid extremum habeat oratio mea, non dimittam te sine praeceptis meis, & his quasi ultimis vocibus te onerabo, atque

Præcipiam et repetens iterumque iterumque monebo.

Pietatem imprimis cole, & secundum veterem illum Græcum versiculum,

ΑΡΧΗΝ ΑΠΑΝΤΩΝ ΚΑΙ ΤΕΛΟΣ ΤΟΙΣ ΘΕΟΙΣ.

Vocavit te Deus Opt. Max. ad illustrem sui filii cognitionem & veram Evangelii sui lucem.

Illum thesaurum, illam gemmam præclaramque παρακαταθήκην bona fide custodito. Et quoniam præclararum nobiliumque familiarum decus ex ornamentis studiorum valde elucescit: literas bonas liberalesque artes, ut hætenus fecisti, amare pergitto: obedientiam erga præfectum magistrumque præstato. Enimvero cum vera hominis beatitudo in eo sita sit, ut primo bono homo simillimus fiat: nulla certe virtus est, quæ hominem Deo magis conciliet similioremque reddat quam Pietas. Hac virtute omnes prophetae, omnes sancti martyres, omnes etiam præclari heroës & monarchæ in cælum ascenderunt. Hæc Cyrum, hæc Constantinum, hæc Carolum M. hæc Theodosium: innumerosque alios æterna laude beavit. Hanc igitur præhende, hac tanquam ala in sublime enitere: adhibita interim altera illa studiorum ala, quæ famam tuam longe

longè

longè lateq̄, resonantem quoquo versus different.
Quod enim principi viro, et in magna familia nato, ornamentum accedere potest illustrius quam litera? adeò ut veteres principes non modo literis ipsi eruditi esse voluerint, sed etiam secum domi & foris, in pace & bello doctos literatosq̄, homines & poëtas habere voluerint: quidam etiam in castris literarum studia non omiserint, & vel legendo cognoscendoq̄, vel scribendo tempus traduxerint. Et ut isti merito jureq̄, laudantur: ita ille merito in reprehensionem sanorum hominum incurrit, qui filium suum nihil aliud discere voluit quam hanc sententiam: Qui nescit dissimulare, nescit imperare. Vos autem multò præclarior, qui ad generis nobilitatem literas ac pietatem assumitis. Sed in hac vestra ætate obedientiam quæso ne intermittite. Nam præterquam quòd ingenii animi naturaq̄, bene cõparati insigne argumentum est: habet etiam utilitates & fructus amplissimos in se repositos, et omniũ bonorum virorũ laudem ac prædicationem. Vides tu hunc adolescentẽ (ait aliquis ex seniorũ istorum ordine) nobilem illũ quidem & magna familia ortum, qui ad decus sui generis adjungit omniũ bonarum artiũ cognitionem? in studiis ferè totus est, oẽm antiquitatem habet egregiè cognitam, eloquentiæ sacris est initiatus, loquitur purè, & alia multa: sed illud permirũ est, quòd suis præceptoribus et præfectis adeò obedientem se præbet, ut, si parentes essent, obedientiorem se præbere non posset. Evadet hic in aliquẽ insignem virum & heroẽ: erit suæ familia ingens

decus ac ornamentum. Hac & simili prædicatione quid laudabilius, quid animo nobili & generoso gratius? quodnam acroama jucundius esse possit? Orator ille Græcus dicebat, se delectari muliercularum onus ferentium consufurratione ista, Hic est Demosthenes ille: at ego majorem adolescenti delectationem existimo, audire suam obedientiam potius ita prædicari, quam eloquentiam illam adulatricem & populi servam, qua Demosthenes utebatur. Age verò, generose domine Ioannes, cum tres illas virtutes, pietatem dico erga Deum, amorem ardentem erga studia, obedientiam erga præceptorem & præfectum, complexus fueris: ad amplitudinem generis tui oculos converte. Matrem primo conspicias Sophiam Comitissam, matronam et heroinam laudatissimam, & ipso nomine prudentiæ exemplum præ se ferentem. Omitto illustrissimam Tencinorum familiam, inter Polonicas facilimè antiquissimam, ex qua illustrissima mater vestra longa stemmatis serie prognata est. Omitto amplissimas opes & earum usum magnificum & liberalem: nec enim quàm multa possideas refert, sed quàm liberaliter & magnificè illis utaris. Hæc igitur omnia omitto, familiam, opes & reliqua: illud in illustrissima vestra matre præcipue laudandū prædicandūq; est, quòd tanta cura, tantaq; sollicitudine in literarum studiis, in exercitiis pietatis vos vult retineri, ut non tantum ad peregrinationes, prudentiamq; ex illis Vlyssæam comparandam, & ad literarū cognitionem sumtus liberalissimè suppeditet: verum etiam
& præ-

imp.
i. p. 1. 2.
v. l. 1. 2.
L. 1. 2. 3.

& praefectum nobilitate, prudentia et morum gravitate praestantem, & praepceptorem fidelitate diligentiaq³ eximium vobis adjungere voluerit, ut his ducibus & quasi anchoris adolescentiae vestrae cursus niteretur, ac clavo isto gubernaretur. Qua in re non privatum tantummodo familiae splendorem illustrissima illa heroina consideravit: sed etiam ecclesiam Christi & subditorum utilitatem animo complexa est. Ideo enim in his & studiorum & literarum exercitiis tam sollicitè, tam diligenter, tam assidue vos contineri vult, ut habeat ecclesia suo tempore aliquos nutricios: utq³ Respu. ipsa possit aliquando in suis partibus à vobis regendis gubernari. Quid putatis patrem vestrum, illustris memoria, magnanimum illum virum, Stanislaum Comitem de Ostrorog Castellanium Miedzirecensem, si illi divina quadam palingenesia reviviscere contingeret, dicturum, cum vos conspiceret? quo gaudio, qua letitia exultaret, si vos in literarum studiis tantos progressus fecisse, morum elegantia tantopere exornatos videret? Qui quanquam prematura morte abreptus, hos adolescentiae vestrae maturescentes fructus conspiciere non potuit: tamen hunc meritorum suorum erga ecclesiam & Rempub. fructum à prepotente Deo ferre meruit, ut in vobis quasi renasceret, et paternae virtutis ac pietatis duplices satus relinqueret. Quemadmodum igitur Aeneas ille seipsum filio pro exemplo proposuit, in quod imitatione & similitudine virtutum incurreret, cum ait: Disce puer virtutem ex me, verumq³ laborem.

Ita vobis ego etiam dicere possum, ut parentem vestrum, piū magnanimūq; virum, vobis ad imitandum proponatis. Inuit ille renascentem suo tempore in Polonia ecclesiam, & adventanti Christo portas aperuit: vos jam adultam & maturam illam virginē & sponsam Christi, suo splendore longē lateq; relucentem, vestro patrocinio ornare, provehere ac tueri ne desistite. Si .n. parenti vestro gloriosum fuit, adventantem tam præclarum hospitem tecto ac finibus recipere: vobis non minus laudabile prædicandumq; fuerit, jus hospitii paternum sartum tectum conservare. Qualis verò in Reip. negotiis gerendis administrandisq; parens vester fuerit, quot legationes, quanta diligentia ac fide foris obierit, qua sanctitate ac innocentia domi magistratum gesserit: adhuc hominū recentī memoria tenetur: ideoq; minus vel mendacii vel adulationis crimen mihi metuendū est, quo pluribus tanq; testibus veritatis ratio contestata est. Accedit ad familiæ vestræ decus, Iacobus Comes de Ostrorog, generalis Polonia majoris Capitaneus, charissimus vester patruus: ejusq; filii generosi, Venceslaus jam cum Christo æternum vivens, et Ioannes Regiæ majestati hodie à poculis. Permittetis mihi, opinor, si Ioannis, patruelis vestri, insigne in præceptorem piū & rectē de Christi Evangelio sentientem officium hīc commemorem, in quo paternarum avitarumq; virtutum vivum exemplar conspiciere potestis. Castalionem, hebræarum græcarumq; literarum cognitione præstantissimum virum, nemo ex eruditis est, qui ignoret.

ignoret. Is verus Israëlitam tenui in re fuit, ut
nisi inter ceteros laudatissima Polonica gentis no-
biles adolescentes patruelis vester fuisset, qui eum
suis opibus liberaliter adjuvaret, sæpe boni Casta-
lionis res in angustum oppidò coactæ fuissent. Sed
generosi animi motus ille, familiae vestre insitus &
prorsus innatus, excitavit in Ioanne patruelle ve-
stro eam liberalitatem & magnificentiam, qua
ille viro egenti, sed de literis literatisq; omnibus
optimè merito succurreret. Cur autem ingratiè re-
ticeam, quòd ille idem patruelis vester, ad eter-
nam memoriam etiam mortuo præceptori monu-
mentum summa fide & gratitudine erigi curavit?
Ergo liberalitas in egentes, et in præceptores probos
ac vera religione eximios pietas, Ostrorogiae fami-
liae propria est. Et hæc præclararum virtutum, ea-
rumq; non externarum, sed domesticarum exem-
pla tam sollicitè & diligenter vobis commendo, ut
cum nota sint vobis, neq; ob propinquitatem in ob-
scuro esse possint: eo diligentius ac studiosius ea ad-
imitandum vobis proponatis, & his quasi ignicu-
lis generosos vestros animos incendatis, ad eo-
rumq; normam vitam regatis & conformetis: co-
gitetisq; tot præclara Ostrorogiae & Tencinie fa-
miliae lumina vobis proposita, tot expectationes ad-
versarias gravissimas vobis esse constitutas, ut ad
deprehendendam intelligendamq; culpam aberrationis
nihil magis obvium: ad insequenda virtutis
vestigia nihil facilius aut directius sit. Lauda-
bile erit vobis, omnia studia vestra, oēs conatus, om-
nes cogitationes ad ecclesiam, ad patriam, ad Reip.

dignitatem referre. Laudabile erit, multos mortales immortalibus beneficiis obstringere & obligare. Laudabile erit literis, moribus, prudentia ornatos ex longa peregrinatione domum reverti: sicut è contra

αἰχρὸν δὴ δ'ηρὸν δὲ μένδρ, κενεὸν δὲ νέεδρ.

Verum ut concludam tandem, hodiernus hic dies mutuam scholæ Altorfianæ & Ostrorogorum amoris communicationem in perpetuum suo testimonio testabitur. Habetis à nobis aliquam, licet exiguam, diligentia nostræ existimationem: habetis Grammaticum, Rhetoricum, Logicum, Ethicum, Historicū, Iuridicum pignus, quo vestros animos nobis oppigneravimus. Hoc pignus facite ut diligentia vestra illa solita tueamini & conservetis. Habemus è cōtra a vobis vestri animi grati & memoris pignora lautissima, & bona (ut veteres loquebantur) prædia. Vtrinque verò conspirantem amorem & Christianam benevolentiam veræ fidei glutino conjunctam retineamus: id quod de vobis quidem speramus: de nobis certè pollicemur, Deum Opt. Max. ex animo serioq; rogantes, ut iter illud vestrum ad suæ ecclesiæ & Reipub. salutem, ad familiæ vestræ illustrissimum decus, ad matris charissimæ solatium, ad vestri nominis eternam immortalitatem benè fortunare vobis dignetur,

A M E N.

ORATIO

ORATIO,
ALTORFII AD
DIEM XIII. AVGVSTI
ANNO CL. I. LXXIX. HA-
BITA PER

GENEOSVM ADO-
LESCENTEM, DOMINVM IO-
*annem Firleium, Baronem de Dambro-
uitza, cum suo fratriſq; Pe-
tri nomine,*

Rectori & professoribus ſcholæ
ſtudioſiſq; diſceſſurus va-
lediceret.

ITEM:

*Joan. Thomæ Freigii Recto-
ris reſponſio ad eandem ora-
tionem.*

F 5

ORATIO



ORATIO IOANNIS

FIRLEII ADAM-

brouitz.



Eminem vestrum esse arbitror, auditores, qui si causas institute mee orationis cognoverit, non statim veniam mihi sit daturus, iterum in hunc amplissimum locum prodeunti. Quis enim tam omnis humanitatis expers sit, quis tam suspiciosus, qui eum reprehendere, aut in leuissimam saltem suspicionem temeritatis cuiusdam aut ostentationis vocare ausit, qui animum gratum erga bene meritos oratione testificari conatur? Ut enim ingratos acceptiq; beneficii immemores, summo odio: sic è contrario gratos memoresq; animos, summo amore ac benevolentia prosequi debemus. Quamobrè me quoq; ut spero, attentè bonaq; cum venia de amplissimi Senatus Norici, de clarissimi Rectoris nostri, ceterorumq; doctissimorum præceptorum in nos meritis dicentem, audietis. Erit autem instituti sermonis mei ratio in duas partes distributa: Primum enim gratitudinem summam virtutem, vitæq; humane maximè necessariam esse declarabo: Deinde quibus quantisque beneficiis, in hoc percelebri Gymnasio fuerimus affecti: & qua mente ea agnoscamus.

quo

quo studio colamus, breviter exponam. Audivistis studiosissimi adolescentes, & condiscipuli, tum alias tum in proxima nostra Panegyri: scitis etiam vos ceteri, qui adestis, auditores pietate, doctrina, virtute, reverendi, clarissimi atq; ornatiss. viri, Praeceptores summa observantia colendi: Nihil in omni vita honestius esse, nihil naturae magis consentaneum, nihil utilius, nihil deniq; magis necessarium, ea virtute, quae recenti vocabulo, eoq; non inepto, si ἀναλογία spectetur, gratitudo (sicut magnitudinem & beatitudinem dicimus) & a veteribus Latinis alias gratia, alias gratus & memor animus: alias accepti beneficii memoria: alias ἐπίτασις pietas appellatur: E contra nihil turpius ac foedius, nihil odiosius ac molestius, nihil perniciosius esse animi ingrati vitio, quod vulgò ingratitude voce notatur. Et vere quidem. Quid enim praestantius, quid pulcrius ea virtute, quam Cicero in Oratione pro Plancio, non solum maximam, sed omnium etiam virtutum matrem appellat? Haec enim, velut corona ex pulcherrimis flosculis contexta, duas maxime insignes virtutes complectitur: quarum una est veritas, quae acceptum beneficium agnoscit & meminit: altera Iustitia, qua homo beneficiis affectus ad remunerationem obligatur. Harum virtutum ornamentis quid potest esse excellentius, quid splendidius, quid magis eximium fingi aut excogitari potest? Contra autem quid turpius, quid indignius homine, quam ingratitude, hoc est, accepti beneficii oblivio, & vel invita, vel nulla vel mala relata gratia.

Haec

Hæc enim ex duobus fœdissimis vitiis est conflata, quorum primum mendacium est. Ingratus enim accepta beneficia nec agnoscit nec meminit, secutus illud Pindaricum: παλαῖα ἔνδ' ἢ χάρις, ἀμνάμονες δὲ βρότοι. Alterum vitium est Injustitia. Etenim ingratus sæpè, quantumvis possit, gratiam non refert, aut beneficia malefactoris excipit atq; compensat: Id quod extrema est perfidia, qua nihil odiosius & Deo & hominibus accidere potest. De Natura quid dicam, non ne hæc virtutis hujus vestigia etiam bestiis ac rebus inanimatis & mutis impressit? Nam ut è pluribus unū atq; alterum duntaxat referam: Nonne Ciconia in more habet positum, ut unum è pullis relinquat ei domui, in qua nidum finxit atq; incoluit? Nonne hæc eadem parentes suos, senio confectos, tam diu & nutrit, & humeris gestat, quam diu & ipsa fuerit ab illis enutrita & educata? Referuntur ab autoribus gratitudinis exempla, etiam à Leonibus in bene de se meritos edita, de quibus tum alibi, tum apud Aulum Gellium hujusmodi reperitur historia. Sic enim scribit: In circo maximo, inquit, venationis amplissima pugna populo dabatur. Ejus rei, Romæ cum forte essem, spectator, inquit, fui. Multæ ibi sævientes ferae, magnitudine bestiarum excellentes, omniumq; inusitata aut forma erant aut ferocia. Sed præter alia omnia Leonum, inquit, immanitas admirationi fuit, præterq; omnes ceteros unus. Is unus leo corporis impetu & vastitudine terrificoq; fremitu & sonoro, toris, comisq; cervicum fluctuantibus, animos, oculosq; omnium

mnium in sese converterat. Introductus erat inter complureis ceteros, ad pugnam bestiarum, Dacus servus viri consularis. Et servo Androdus nomen fuit. Hunc ille leo, ubi vidit procul, repente, inquit, quasi admirans stetit, ac deinde sensim, atque placide, tanquam noscitabundus ad hominem accedit. Tum caudam more atq; ritu adulantium canum clementer & blande movet, hominisq; corpori sese adjungit: cruraq; ejus & manus prope jam exanimati metu, lingua leniter demulcet. Homo Androdus, inter illa tam atrocis fere blandimenta amissum animum recuperat, paulatimq; oculos ad contuendum leonem refert. Tum quasi mutua recognitione facta: Letos, inquit, & gratulabundos videres hominem & leonem. Ea re prorsus tam admirabili, maximos clamores populi excitatos dicit: accersitumq; a Cesare Androdum: quesitam causam, cur ille atrocissimus leonum uni parsisset. Androdus rem mirificam narrat atq; admirandam: Cum provinciam, inquit, Africam proconsulari imperio meus dominus obtineret, ego ibi iniquis & quotidianis verberibus ad fugam sum coactus: & ut mihi a domino, terre illius preside, tutiores latebra forent, in camporum & arenarum solitudines concessi: ac si defuisset cibus, consilium fuit mortem aliquo pacto querere. Tum sole, inquit, medio rabido, & flagranti, specum quandam nactus remotam latebrosamq; in eam me penetro ac recondo: neq; multo post ad eandem specum venit hic leo, debili uno & cruento pede, gemitus edens, & mur-
mura,

mura, dolorem cruciatumq³, vulneris commiserantia. Atq³, illic quidem primo aspectu advenientis leonis territum sibi & pavefactum animum dixit: sed postquam introgressus, inquit, leo (uti re ipsa apparuit) in habitaculum illud suum, videt me procul delitescentem, mitis & mansuetus accessit, & sublatum pedem ostendere mihi & porrigere, quasi opis petende gratia visus est. Ibi, inquit, ego stirpem ingentem, vestigio pedis ejus herentē, revulsi, conceptamq³ saniem vulnere intimo expressi, accuratiusq³ sine magna jam firmidine siccavi penitus, atq³ deterpsi cruorem. Ille tunc mea opera & medela levatus, pede in manibus meisposito recubuit, & requievit: atq³ ex eo die triennium totum ego et leo in eadem specu, eodemq³ victu viximus. Nam quas venabatur feras, membra opimiora ad specum mihi suggererat: quæ ego, ignis copiam non habens, sole meridiano torrens, edebam. Sed ubi me, inquit, vitæ illius ferinæ jam pertasum est, leone in venatum profecto, reliqui specum: & viam fermè tridui permensus, à militibus visus apprehensusq³ sum, & ad dominum ex Africa Romam deductus. Is me statim rei capitalis damnandū, dandumq³ ad bestias curavit. Intelligo autem, inquit, hunc quoq³ leonem, me tunc separato captum, gratiam nunc mihi beneficii & medicinæ referre. Atq³ adhuc Gellius. Quid porro de terra, omnium rerū nascentium matre, referam, quæ ad gratiam nostris benefactoribus referendam nos allicit atq³ invitat? Id quod Cicero quoq³ eleganter ostendit: Quidnam, inquit, beneficio

Scio provocati facere debemus? An non imitari
agros fertiles: qui multo plus afferunt, quam acce-
perunt? Quo certe exemplo edocemur, & natu-
ram ab ingratitude planè abhorrere: & quo
quisq; cumulatus gratiam refert, eò honestiore a-
nimo esse. Agri Babyloniorum centuplum affer-
re fructum perhibentur: Sic etiam honestissimus
quisq; animus abunde, modo possit, benè meritos
remuneratur. Non solum igitur ratione honesta-
tis, sed etiam ipsa natura duce ad animi grati offi-
cia præstandum incitamus & impellimur. Quan-
tum porro commodi rebus humanis afferat hæc
virtus, quamq; necessaria ea sit, quivis facile, si
humanas actiones & munera animo perlustrave-
rit, animadvertet. Nihil est enim, quod tam in o-
mnes partes suas utilitates habeat, quam gratitu-
do. Nam hæc & publicè & privatim, & domi fo-
risq; plurimum utilitatis affert. Hæc ad quodvis
vitæ negotium, ad quodvis studium & commerci-
um humanitatis maximopere valet. Absq; hæc
reliquæ virtutes suum splendorem nec tueri nec
conservare possunt. Quod ut clarius elucescat, ope-
re precium fuerit, quam exitiosum rebus humanis
sit animi ingrati crimen, breviter ostendere. Nul-
lum est scelus, nullum flagitium, nulla turpitude,
quæ non ab ingratorum hominum perfidia, tanq̃
ex fonte omnium malorum, promanare, atq; in o-
mnes vitæ partes diffundi videatur. Hinc illud
tritum: *CUNCTA mala dixeris, ingratum si
dixeris.* Serpit enim hoc malum, & quascunq; vi-
tæ actiones attigerit, eas inficit, foedat, corrumpit,
ac per-

ac perdit. Etenim quid per *DEVM* immortalē amicitia melius, quid utilius, quid jucundius? At ingratitude omnem vim amicitiae infirmat, tollit funditus & aufert. Amicitia tota in benevolentia, tota in officio, tota in charitate versatur. At quid odiosius, quid molestius ingratitude, quae voluntatum, studiorum, sententiarum consensionem tollit, vitae officia violat, charitatem omnem extinguit atq; delet. Quocirca rectè quidam ingritudinem appellat ventum exurentem, qui omnem charitatis fontem exiccet. Veri amici ad promerendū diligentissimi, ad referendum promptissimi sunt. At ingrati & in promerendo negligentissimi, & in referendo tardissimi esse solent. Amicus non sibi sed aliis se natum existimat, suam operam & studium ad aliorum dignitatem & utilitatem confert: At ingratus sui duntaxat ducit rationem, sua quærit commoda, omniaq; privata utilitate metitur. Quid pietate præstantius, quid homine dignius? At ingratus nec *DEO*, nec parentibus, nec patriæ, nec præceptoribus, nec amicis debita officia præstat. *DEVM* non colit, cujus munere in hanc pulcherrimam lucem, in hoc splendidissimum mundi Theatrum, est editus atq; susceptus. Sacra non veneratur, à quibus ad sempiternam salutem & beatitudinem eruditur. Parentes non alit aut nutrit, nec eos observat, à quibus corpus vitamq; accepit. Patriæ non servit, quæ ipsum fovit, aluit, sustentavit. Præceptoribus, qui animam potiore partem hominis informant, debitam gratiam non persolvit, quin

vit, quin saepe omni injuriarum & contumelia-
rum genere violat impius & sceleratus. Amicis
& cognatis nec consilio, nec opera, nec voluntate
suam gratitudinem declarat; à quibus omnis ge-
neris beneficia accepit. O immanem bestiam, è fi-
nibus humane societatis longissimè pellendam: ô
labem, ô pestem, ô venenum optimarum virtu-
tum. Quid enim de justitia quoq; dicam, quæ tam
facile ab ingratis violatur, ut his nihil injustius,
nihil iniquius cogitari queat. Versatur hæc vir-
tus in conservanda humane societatis æqualitate:
Hæc commune bonum spectat, hæc docet æquita-
tem & legem colere: suum cuiq; tribuere pro di-
gnitate ac merito cujusq;: at ingrati nihil minus
quàm justitiæ munera præstant. Non enim quid
justum, quid æquū sit considerant: sed potius quod
aliis debetur, iniquè sumunt, nemini suum tribu-
unt, & gratiam vel nullam vel malam suis bene-
factoribus referunt.

Atq; adhuc breviter primam orationis mee
partem sum persecutus, ex qua, quàm eximia vir-
tus, quàm utilis, quàm necessaria sit gratitudo, &
contrà quàm fœdum ac turpè vitium, quàm im-
pium ac nefarium scelus ingratitude sit, facile cu-
ivis constare arbitror. Quamobrem illam ut pul-
cerrimam omnium virtutum reginam amemus,
amplectamur, exosculemur. Hanc verò ut imma-
nem bestiam, omnis humanitatis acerrimam ho-
stem, cunctorumq; scelerum sentinam fœdissimam
detestemur, execremur, fugiamus ac devitemus.
Superest altera pars, quam ut proposui consimili

brevitate expediam. Non enim satis est laudibus extollere virtutes, nisi earum quoque nos studiosos esse, re ipsa probemus ac testificemur. Quantum igitur Deo Opt. Max. quantum amplissimo Senatui Norico, quantum magnifico domino Rectori, ceterisque meis praeceptoribus debeo, ut verè sic liberè nunc profitebor. Annus jam agitur tertius: ex quo ego & meus frater, ceterique nobis adjuncti nobiles adolescentes, de voluntate & consilio prestantissimorum virorum in hanc scholam pervenimus. Hoc temporis spacio quanta Dei Opt. Max. à quo uno vera felicitas pendet, benignitas erga nos fuerit, cogitare licet, verbis exponere non licet. Non solum enim, quæ ad victum & corporis cultum necessaria erant, nobis cumulatè suppeditavit, & à multiplici fortune Tyrannide, & corporibus nostris & opibus, & existimationi infesta, nos defendit atque tutatus est. Verum etiam animorum nostrorum saluti prospexit atque consuluit. Eos enim duces nobis adjunxit, eos praeceptores dedit, qui nos veræ religionis pietate & optimarum artium doctrinis excolerent: qui nostram fragilem ætatem, in tantis diaboli insidiis, gubernarent, & intra virtutis limites continerent. Largitus est nobis laborum & studiorum prosperos successus, aliisque plurimis beneficiis suam divinam erga nos bonitatem declaravit. De inclyto Senatu Norico quid dicam? quibus verbis ipsius singularem humanitatem, & erga nos benevolentiam, et de omnibus bene merendi studium commemorabo? Superioribus annis, cum Musas à plerisque neglectas

lectas videret, amore pietatis & posteritatis ju-
vande studio hoc celebre gymnasium extruxit,
aperuit, confirmavit, auxit, atq; etiamnum id fo-
vet, tuetur, nihilq; quod ad ipsius commodum &
dignitatem spectat, prætermittit: idq; non solum
propter liberos suorum civium, verum etiam pro-
pter vicinos & exteras nationes, quibus hanc Mu-
sarum sedem vult patere: ut ex ea cuivis liceat
suavissimos & saluberrimos eruditionis fructus
percipere. Quanta ad alios ex hac Senatus libe-
ralitate beneficia proficiscantur, non dicam: cum
id multorum populorum memoria ita sit compre-
hensum, ita bonorum virorum conscientia conte-
statum, ita deniq; publica voce atq; sermone cele-
bratum, ut nulla oblivione deleri, nulla vi aut in-
vidia infirmari, nulla oratione satis predicari
posse videatur. Quid porro de magnifici domini
Rectoris, & reliquorum præceptorum meritis er-
ga nos dicam: quæ sanè sunt maxima, eaq; æterna
memoria & predicatione digna. Nam ut de uni-
verso disciplinarum genere, quod in hoc gymna-
sio toti studiosæ juventuti proponitur, taceam, de
iis tantum doctrinis breviter differam, in quibus
ego meusq; frater, ceteriq; populares hætenus fi-
deliter eruditi & exercitati, adeoq; maximis be-
neficii vinculis huic gymnasio obstricti & obligati
sumus. Quod. n. majus potest esse beneficium, quod
munus præclarior, quàm fidelis, prudens, ac diligens
in iis artibus institutio, quæ tanq; surculi sunt ac
plantæ aliarum magnarum disciplinarum ac profes-
sionum. Edisserat mihi quispiam, quantum vel soli

Grammatica debeat, quæ puri ac dilucidi sermonis curam gerit, atq; ad sublimiores disciplinas primum maximeq; necessarium gradum constituit. Vt enim in ædificiis, nisi solida firmaq; constiterint fundamenta, omnia labefactari, divulsaq; ruinam trahere solent: sic in disciplinis percipiendis, nisi quis bene loquendi rationem exactè teneat, frustra cæteris artibus invigilabit. Sequitur altera, quæ per omnes sapientiæ partes manat ac funditur, quæ ubiq; veritatis indagandæ viam & rationem tradit: quæ rem definit, genera dispertit, sequentia adjungit, perfectæ concludit, vera et falsa dijudicat, Græcè διαλεκτική καὶ λογική, Latine differendi ratio & scientia appellatur. Huic quasi ex altera parte respondet Rhetorica, quæ nō ineptè Logices speciosa filia appellari possit. Quæ enim illa acutè invenit, sapienter disponit, eadem hæc verborum et sententiarum splendore exornat atq; illustrat. Hæ tres artes, veris ac perpetuis propriis atq; homogeneis, tum maximè Catholicis, id est, rerum generalium generalibus, & specialium specialibus præceptis comprehensæ, fideliter et prudenter à præceptoribus classicis traduntur, atque earum usus illustrium Poëtarum, Oratorum, Philosophorum exemplis ostenditur: atq; etiam publicis disputationibus & declamationibus demonstratur. Quid verò de sublimioribus illis Ethicis, Politicis, Historicis, Iuridicis prælectionibus dicam, quibus nihil præstantius, nihil utilius, nihil jucundius esse potest? Quem non magnopere juvet scire rationem bene beateq;, & Deo convenienter

enter vivendi? quæ docet, quomodo rectè de rebus
statuere, & in deliberando prudentiam, in rebus
adversis fortitudinem, in secundis moderationem,
in contrahendo justitiam, in miseris sublevandis
benignitatem & liberalitatem, in curando corpo-
re temperantiam: & ubiq; veram pietatem cole-
re & exercere debeamus. Quis est, qui non fami-
liæ benè instituendæ peritiam magnifaciat, qui
non Reipub. rectè administrandæ rationem per-
necessariam esse ducat? Quid deinceps de histori-
cis prælectionibus dicam, quarum certè summa
est utilitas. Vix enim ullum aliud scripti genus
est, quod ad augendam prudentiam aequè condu-
cat. Cum enim historiae docent, quid aliis evene-
rit: cur his calamitates, illis optata contigerint:
simul normam actionum nostrarum, vitæq; inter
omnes errores omniaq; pericula ad salutem et vir-
tutem dirigendæ componunt. Præcepta enim Phi-
losophorum & Theologorum τὰ δεόντα tantum
tradunt & monstrant, quid sentiendum de rebus,
quid agendum sit: Historia verò τὰ γινόμενα de-
scribunt, id est, præclara facinora virtutum, &
quæ harum comes, prospera fortune, exempla:
itemq; stultitiam, calliditatem, improbitatem, mi-
serias mortalium ob oculos ponunt: è quarum re-
rum observatione, vitæ nostræ rectam conforma-
tionem petere possimus. Jurisprudentiæ verò quan-
ta sit laus, quanta dignitas, quanta utilitas, quis
ignoret? siquidem major, quàm ut meam com-
mendationem admittat. Hæc enim inter omnes
humanas artes maximè excellit, hæc leges præscri-

bit: hæc bonis præmia, malis supplicia constituit, & commune omnium Imperiorum & Rerum pub. est præsidium. De Arithmetica tandem & Geometria quid dicam? An non hæc quoq; maximum in vita humana habent usum? Certè præterquam quod contractibus & Architecturæ, omnisq; generis opificiis serviunt, etiam à Platone dicuntur ale, quarum subsidio via in cælum exploretur: ut proxima panegyris sapienter docuit. Et hanc quidem utramq; artem, præter Astronomiam doctissimus D. Prætorius diligentissimè profitetur. Hæc sunt prælectiones, auditores humanissimi, quas in hoc gymnasio audire, earumq; suavissimo rore animos nostros irrigare licuit. Atq; ita quàm potui brevissimè beneficia, in hoc gymnasio mihi, meoq; fratri, & popularibus nostris, tum à Deo Opt. Max. tum ab inclyto Senatui Norico, tum à magnifico Domino Rectore, cæterisq; præceptoribus obtigerint, percensui: quæ sanè tanta, tamq; præclara sunt, ut nunquam eorum oblivisci, nunquã satis, non dicam referenda, sed ne cogitanda quidem gratia assequi possimus. Quis enim Deo immortalis, omnium bonorum autori, dignas referre aut agere gratias possit, sed tamen si referri non potest, saltem habenda est, & accepta beneficia tum grata mente agnoscenda, tum voce grata celebranda sunt. Quamobrem tibi primum, æterne DEVS, gratias agimus & habemus immortales, quod nos ad hunc usq; diem salvos & incolumes esse volueris, quod mentis vigorem & sensuum integritatem, prosperitatem, præceptores eruditos, fideles,

deles, diligentes dederis, omnisq₃ generis beneficia liberalissime in nos contuleris. Rogamus te, velis posthac eandem liberalitatem & benignitatem exercere, eadem bonitate nos tueri, à morbis, injuriis, insidiis, omnibusq₃ periculis defendere: felices in pietatis laudandarumq₃ doctrinarum studiis progressus concedere, ceteraq₃ hujus vitæ necessaria largiri, ut aliquando Ecclesiæ tuæ optimè inservire: optimè societatem hominum adjuvare: optimè de nostra patria mereri: optimè posteritati consulere possimus. Quanq̃ porro nihil habemus, quod à Deo non accepimus, & proinde cuncta ipsi uni accepta ferenda sint, nihilominus tamen hominibus quoq₃ de nobis benè meritis, nos gratos exhibere debemus. Sunt .n. nuncii seu instrumenta divina, per quæ Deus nobis benefacere solet: quos qui negligit aut contemnit, nefario impietatis crimine se polluit. Sicut & Isocrates ad Philippum Macedonē graviter & eruditè sic scribit: *οἰμαί σε ἢ ἀγνοῖς, ὃν τρέφουσιν θεοὶ τὰ τῶν ἀνθρώπων διοικῶσιν. ἔ γὰρ αὐτόχρηες ἔτε μετὰ τῶν ἀγαθῶν ἔτε τῶν κακῶν γίνονται τῶν συνόντων αὐτοῖς: ἀλλ' ἐκάστοις τοιαύτην ἐννοίαν ἐμποιῶσιν, ὥσε δι' ἀλλήλων ἡμῖν ἐκάτερα παραγίνεσθαι τῶν τῶν, hoc est, Te non ignorare arbitror, quo pacto Dii res humanas administrent. Non enim ipsi coram vel prosperis vel adversis in rebus se conspiciendos hominibus præbent, aut contrectandos manibus: sed eam mentem dant singulis, ut vel cladi- bus ultrò citroq₃ sese afficiant, vel communes utili-*

tates in medium afferant mutatione officiorum.
Qua insigni sententia monemur, hominibus non
minus quam ipsi Deo gratias si non referri, at sal-
tem haberi & agi debere. Quod cum ita sit, agi-
mus etiam & habemus gratias maximas amplif-
simo Senatui Noribergensi, pro singulari ipsius er-
ga nos humanitate, benevolentia, & liberalitate,
& pro eximiis illis beneficiis, quæ nobis in hoc suo
celeberrimo gymnasio præstari voluit. Pollicemur
nos vicissim summo studio omnia per occasionem
præstituros, quæ et illi & iis, quos ille charos habet,
utilia & grata fore videantur. Deinde tibi, ma-
gnifice Domine Rector, & vobis, qui adestis, pro-
fessores & præceptores ornatissimi: vobis, inquam,
singulis & uniuersis gratias, quantas animus ca-
pere potest, maximas agimus & habemus, pro sin-
gulari vestra benevolentia, fide, diligentia, labo-
re, quem in nobis erudiendis adhibuistis. Si enim
præceptoribus ac Magistris eò difficilius est refer-
re gratiam, quam parentibus, quo animus corpori
præstat: quorum hoc parentes gignunt, illi ani-
mum informant: profectò nos sempiternas grati-
as vobis debere libenter ac verè fatemur. Quam-
obrem nulla unquam vis oblivionis vestrorum
meritorum memoriam ex nostris animis evellet:
Quin imo locus hic mutus, hæc inquam Musarum
sedes perpetuo cum grata recordatione, in mente
nostra versabitur: nullum tempus vestre pruden-
tia, diligentia, fidei, doctrinae, religionis, & mode-
rationis prædicatione vacabit. Verum tamen hic
fructus vestrorum meritorum, non solum in me-
moria

moria & prædicatione erit positus: quem nemo unquam sapiens non præstantissimum esse iudicabit: verum etiam in referenda gratia aliquo modo, ut speramus & optamus, cernetur. Simul atq; dabitur opportunitas: non solū vobis, sed iis etiam, quos vobis aliqua necessitudine conjunctos videbimus, officia nostra absq; omni & temporis, & loci, & occupationis exceptione, probare & præstare conabimur. Atq; hujus quidem testem, promissi & quasi loco fœderis, quod à nobis violari nunquam patiemur, hanc esse apud vos orationem volumus. Postremo et vobis, studiosi adolescētes, gratias habemus & agimus pro vestro in nos amore, benevolentia, et observantia, quam nobis, dum hanc suavissimam literarum societatem, in hoc Musarum domicilio, in hac urbe, in convictu, in congressibus, coluimus, exhibuistis. Eam ut posthac quoq; tum vobis invicem, tum, si qui ex nostris popularibus huc pervenient, præstetis etiam atq; etiam rogo. Nobis quidem mutue benevolentie, gratiq; animi declarandi studium & voluntas nunquam deerit. Et quoniam à nostris hinc evocati, propediem iter sumus ingressuri, facere nō possum, quin extremi muneris loco insignem Xenophontis sententiam vobis relinquam: ἡδὲ κάλλιον κτήμα ἔτε λαμὰ πρότερον ἀρετῆ καὶ δικαιοσύνης καὶ γενναιότητος, hoc est, Nulla melior, nulla splendidior possessio, quam virtutis, iustitiæ & ingenuitatis. Virtuti itaq; cum vera pietate coniuncta, quæ omnium virtutum est perfectio, operam date. Literarum studiis diligenter incumbite, Præceptores ve-

stros colite & observate, eis vos gratos præbete, id quod certissimum in dolis ingenuæ, atq; ad res magnas natæ erit argumentum: sicut extremæ sortis, sceleratæ mentis, & certissimæ infelicitatis signum est, præceptores & contemnere & ludibrio habere, eosq; debitis officiis justisq; honoribus privare. Huic præcepto si parueritis: domum aliquando redibitis, hilares memoria præteritorum laborum: ornati literis atq; doctrinis, grati & jucundi parentibus: Ecclesie ac Reipub. chari atque accepti. Quod ut vobis feliciter prospereq; eveniat, totis animis precamur & optamus. D I X I.



ORATIO IOAN. THOMÆ FREIGII RECTORIS.



*V*m reliqua omnia, quæ oratione tuâ complexus es, generose domine Ioannes, ita me affecerunt, ut jam diu nihil æquè: tum præcipuè id, quod tu rectè & piè de gratitudine, virtute omnium maxima, splendide ornateq; differuisti. Si enim omnia officiorum virtutumq; genera examinemus, & aurea quadam iudicii solidioris statera ponderemus, nullum referenda gratia, ethnicis quoq; ipsis testibus, magis necessarium reperiemus. In hac enim una virtute multarum aliarum
virtutum

virtutum simulachra apparent: præcipuè verò Iu-
stitia, quæ suum cuiq; tribuere jubet: & Veritatis,
quæ ingenuitate bono viro digna & summo can-
dore, beneficium unde profectum est, eodem etiam
refert. Sed proh Deum immortalem quid inter nos
mortales agitur? Cum nulla virtus hac una gra-
titudine ad humanam naturam magis accedat:
nulla tamen est, in qua homines frequentius pec-
cent & turpius labantur. Nam ut illam vulga-
rem gratitudinem, qua homo homini gratum ani-
mum debet, omittam: quis est qui Deo Opt. Max.
pro immensis in se beneficiis gratum se, ut debet,
exhibeat? Primū enim quantum beneficium est,
quod nobis verbum suum purum putum & à pha-
risaico fermento defecatum multis in locis nostræ
Germaniæ adhuc conservat? quod beneficium qui
non intelligit, is quovis fungo insipidior, quovis li-
gno stupidior, quovis saxo durior est. Accedunt et
verbi divini fructus immensi, nec ulla cogitatione
comprehensibiles. In hoc enim tanquam clarissimo
speculo, nature nostræ sordes aspicere, maculas næ-
vosq; agnoscere: ac tanquam in limpidissimo fon-
te detergere & eluere possumus, ut sic ab omnibus
animi nostri sordibus abluti, expiationem vitio-
rum criminumq; consecuti, mentis sanctificatio-
nem induamus, eamq; præclaris virtutibus exor-
nemus. Et hæc quidem summa hominis beatitudo
est, præcipuumq; beneficentia divine argumen-
tum. Sed præter hoc divini verbi donum, accedit
immensus thesaurus omnium bonorum, quæ instar
corollarii à divina munificentia adjiciuntur.

Hinc

Hinc enim corporis robur & prospera valetudo:
hinc vita ipsa, qua nihil jucundius est: hinc inge-
nia ad literas discendas docilia: hinc institutio
præceptorum fidelis: hinc pacis usura dulcissima.
Nec verò hæc bona tantùm largissimè in nos con-
fert divina bonitas: sed etiam mala & calamita-
tes à nobis clementer avertit. Quod beneficium
quantum sit, satis ostendunt vicini parietis incen-
dia & miseri huius seculi tempora: in quibus tan-
tæ confusiones imperiorum & regnorum: tot ruine
& vastationes urbium: tanta deniq; Ilias malo-
rum & calamitatum impendet: ut nunquam il-
lud oraculum, quod de δωρικῶ πολέμῳ ab A-
polline editum fuit, verius fuisse videatur. Nam
ubiq; ferè πολέμῳ καὶ λοιμῳ ἅμ' αὐτῶ: adeo ut
magnus & poëtis & historicis campus paucis his
annis apertus sit. Sed quotusquisq; est, qui vel be-
neficia illa, grata mente agnoscat: vel harum ca-
lamitatum cogitatione ad gratitudinem erga
Deum Opt. Max. se excitet? Omnes igitur in eo-
dem ingratitude luto hæremus: omnes in eodem
gurgite submersi sumus: unde nos, nisi Deo ipso
manum porrigente, eluctari & emergere nostris
viribus non possumus. Nam si absq; hoc auxilio
fuerit, necesse est accidere nobis quod regius Psal-
tes de insipientibus canit, quorum illud præcipuum
axioma est, Non esse Deum. Et ne ipse solus vide-
atur hominum illam ingratitude stolidam ac
insipientem tragicè amplificare, Deum ipsum in
testem adducit, qui cum de cælo despiciat, ut ali-
quem prudentem hominem & Dei amantem in-
veniat:

veniat : omnes depræhendit inutiles esse, nec unum
esse qui bonum faciat. Nec verò hoc sancti patres
tantum, sed & ethnici animadverterunt. Hinc
Virgilius de viro bono canit,

Vir bonus & sapiens qualem vix repperit unum
Millibus è multis hominum consultus Apollo.

Et Iuvenalis :

Rari quippe boni : numero vix sunt totidem quot
Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.

Quæ cum ita sint, cumq³ omnes erga divinã bo-
nitatẽ tam ingrati simus, nõnne jure merito fron-
tibus nostris Ingrati notã inuri conveniebat? Sed
in hac commemoratione nolo longior esse : ad tuæ
orationis partes duas descendam, generose domi-
ne Ioannes, quarum una ad amplissimum ordi-
nem, altera ad nos spectavit. Quod ergo ad amplif-
simum nostrum senatum attinet: non dubito quin,
quæ ipsius humanitas est, gratiarum actionem, tuo
fratrisq³ tui nomine sibi a te habitam, gratissimo
animo sit accepturus, & omni benevolentia pariq³
memoria compensaturus : simulq³ existimo jucun-
dum illi futurum, cum letos illos fructus sementis
illius, quam paucos ante annos in hac schola ex-
truenda fecit, tam largiter in honestissimorum a-
dolescentum ad oreis metit & percipit. Ut enim
agricole multo labore & sudore aratam suba-
etamq³ terram semine conspergunt : tempestati-
bus, æstu, siti conficiuntur : cum verò maturescen-
tes segetes conspiciunt, lætitia efferuntur : perceptis
deniq³ amplissimis fructibus prorsus exiliunt &
tripudiant: ita amplissimus noster senatus, quanq³
non

non sine magno sumtu, multaq; molestia hanc scho-
lam extruxit, præteritum tamen laborem ex præ-
senti liberalium ingeniorum tanquam amplissi-
morum fructuum copia solatur et compensat. Atq;
hec breviter de prima parte. Reliqua oratio par-
tim ad vos duos fratres, partim ad nos, qui scholæ
præfæcti sumus, pertinuit. Quod igitur ad vos at-
tinet, gratulor vobis, quòd a fortune tyrannide (ut
tu modò nominasti, domine Ioannes) tentati, nun-
quàm tamen victi, aut fracti, aut de statu mentis
dejecti estis. Et quoniam in fortune mentionem in-
cidimus, pauca de ea hîc dicere constitui, ut intel-
ligatur, quid Christiano homini de illa sentien-
dum sit. Ethnici quidem illi, etsi veri Dei cog-
nitione destituti fuerunt, non omnes tamen cœcæ
illam Deam pro numine habuerunt: sed qui do-
ctiores eruditioresq; eo tempore & saniore iudicio
præditi fuerunt, parum vel nihil potius loci fortu-
næ relictum voluerunt. Sic enim Iuvenalis,

Nullum numen abest si sit prudentia: sed te
Nos facimus fortuna Deam, cæloq; locamus.

Et Cæsar quoq; noster suorum successuum cau-
sam nunquam fortune, sed prudentiæ asscribit.
Quod si illi, rectæ religionis ignari, & de provi-
dentia divina non admodum solliciti, fortune tamen
numen nullum agnoverunt: quid nos facere de-
set, qui in vera rectaq; Dei cognitione & sana de
ipsius $\delta\iota\omicron\iota\kappa\acute{\alpha}\sigma\epsilon\iota$ persuasione melius instituti sumus?
Sed demus, fortunam in rebus humanis aliquid
etiam juris habere, & multa casu quoq; accidere:
quomodo tamen præclara illa rerum domina do-
minari

minari vobis aut infesta esse potuit, cum res vestras
minimè ex ejus arbitrio suspensas unquam habue-
ritis? Qui enim omnes res suas in se sitas putat, ne-
que ex fortuna arbitrio rationes suas suspensas ha-
bet: is nunquam à Diis immortalibus negligetur:
& Socrates apud Platonem in Apologia divini-
tus ait: ἔκ ἐστιν ἀνδρὶ ἀγαθῷ κακὸν εἶναι, ἔτε
ζῶντι ἔτε τελευτήσαντι, εἰ δὲ ἀμελῆται ὑπὸ θεῶν
ὧν τὰ τῶν πράγματα. Et quidem multo mi-
nus si sacrarum literarum studium assumat, &
verbum Domini tanquam lucernam ad tenebras
hujus mundi allucentem adhibeat. Et quoniam
non ignoro, vos præcipuè ad hanc sacram ancho-
ram semper confugisse, ut idem deinceps faciatis, et
militiam susceptam strenuè perficiatis, hortor mo-
neoque. Nam, ut cum Imp. nostro Iustiniano horta-
tionis meæ summam proponam, πολλὸς ὁ ἱερὸς ἔ-
πιπέτωρ βιβλίωρ χορὸς, ἢ δυνατὸς ἐστὶν ἐκάστῃ
τῆρ ψυχῆρ ἐπανορθῶν ἢ ἐπ' ἀρεθῶν τοῖς ἱεροῖς λο-
γίοις: ἅπερ εἰ συνεχῶς ἀναγινώσκουσιν, ἔκ ἂν προ-
τε σφαιρίων, εἰ δὲ εἰς ἀνθρώπινους μερίμνας κα-
τενεχθείημεν. Primum, inquit Iustinianus, ingens
chorus vel caterva potius est librorum sacrorum.
Nam si divina oracula & summi Imp. in hunc
mundum merum imperium tenentis edicta legesq;
desideras: in his omnis Dei voluntas tabulis &
monumentis perpetuis consignata est. Nihil hic
populi Rom. leges, trinundino promulgata: nihil
plebiscita, nihil senatusconsulta, nihil principum
placita, nihil prætorum ædiliūmve edicta sibi ven-
dicant:

dicant: totum, totum inquam Dei Opt. Max. nutu continetur. Si verò Prophetarum responsa, prædictiones, comminationes requiris: nusquam earum rerum major copia est. Hic Esaias, hic Ezechiel, hic omnium ætatum clarissima lumina, hic flos probitatis pietatisq; tecum loquitur. Si poëticis carminibus & canticis delectaris: hic Psalmi jucundissimi amœnissimiq; sunt, hic verborum rerumq; admirabilium & humanum propemodum captum excedentium Amalthea est: longè utilioribus fructibus, venustioribusq; floribus referta, quàm ulla Pindaricæ vel Horatianæ ode. Si deniq; historica exempla te delectant: hic prima initia rerum per homines gestarum, hic certissimum historie fundamentum jactum est: & ut ad principium revertamur: & tentationis aliqua exempla ex illo historiarum sacro fonte repetamus: an non Abrahamus tentatus est, cum à Deo filium eumq; unicū & è sterili uxore, extrema senectate natum, offerre & mactare jussus est? Sic Iacobus cum ipso Dei filio luçtans, tentatus est. Sic Iosephus non tantū à fratribus venditus, sed in carcerē quoq; coniectus, gravissimis tentationis arietibus oppugnatus, at non expugnatus est. Sic Iosephi fratres variè à fratre ipso tentati sunt. Sic Moses homo omnium hominum patientissimus: sic Iobus etiã tentatus est. Qui, n. non tentatus est, qualia scit? Materies itaq; & seges sacrorum librorum in oraculis divinis, in Prophetarum responsis, in poëticis psalmis, in historicis exemplis & copiosa & ampla est: at fructus, qui inde percipiuntur, non pauciores aut angustiores:

gustiores: quos duobus verbis τὸ ἐπανορθοῦν καὶ
ἐπάξει Justinianus complectitur. Sacra enim
illa oracula divinis literis comprehensa, animos
in vitiorum lutum immersos & tenebris involu-
tos ac circumfusos, erigunt et melioribus plagis in-
serunt: insertos & in meliorem terram translatos
deinde vitalibus perennibusq; aquis irrigant &
vivificant, prorsus ut palmā in Hiericuntide, quæ
juxta rivos aquarum plantata, fructum suum fert
suo tempore, cujus folium non marcescit, sed per-
ennat. Plantati enim in domo domini, in atris do-
mus Dei nostri florebut: quin et adhuc in senectate
germinabunt, pingues & virides erunt. Hi itaq;
tā amabiles verbi divini fructus sunt, hæc irriga-
tio illius, hæc directio est. Ut .n. plantis, quæ fructu
gravatæ caput demiserunt, arbusta aliqua aut
maritas populos apponi necesse est, ne pondere suo
ad terram ferantur: ita animis hominū, peccato-
rum alioqui mole deciduis & ruinā minantibus,
verbum Domini tanq̃ baculum adjungi oportet,
ut reptantibus fidei flagellis ad summum virtutis
et pietatis culmē ascendere sine lapsu possint. Quæ
adminicula verbi domini, quoniam negligimus
aut sane fastidimus, sit ut in errores & erumnas
varias incidamus. Si enim verbū domini lucerna
est pedibus nostris, & lux semita nostra: illa lucer-
na, illaq; luce relicta, in hac mundi nocte & pal-
pabilibus hujus Ægypti tenebris aberrare, falli
ac decipi nos est necesse. Et quoniam nullus error
tam parvus est, qui non ingentem secum ruinam
trahat: sit ut etiam leviter à sacrarum litera-

H

rum

rum via aberrantes, omnis generis ingentes calamitates, ærumna & dolores statim sequantur. Hoc igitur Iustiniani nostri testimonium, magnum nobis calcar ad sacrarum literarum dignitatem meditandam esto. Sed quoniam historicorum scriptis vos imprimis delectari scio, alterum cohortandi argumentum e Theodoro to repetamus, qui itidem duobus verbis sacrarum literarum vim comprehendit, παιδεύσθαι καὶ λύσθαι. Sic enim ait: Ευαγγελικαὶ βιβλοὶ καὶ ἀποστολικαὶ ἢ τῶν παλαιῶν προφητῶν τὰ θεοπύσματ᾽, σαφῶς, ἃ χρεὶ πόδι τῶ θεοῦ φρονεῖν, ἐκπαιδεύσαι. τῶν πλεμιοῦ ἔμ ἀπελάσαντες ἔριμ, ἐκ τῶ θεοπνεύσωμ λόγωμ λάβωμεν τῶν ζητημένων τῶν λύσιμ. Vis enim in fide Christiana recte institui, eiusq; ὑποστάσθαι πληροφροσθαι? Sacrae literae te erudient, ἐκπαιδεύσαι. Vis de voluntate & lege Dei recte doceri? Sacrae literae te instituent. Vis rectam precandi efficacemq; rationem discere? Sacrae literae te docebunt. Vis de sacramentis recte sentire? Sacrae literae te initiabunt. Atq; haec nimirum vera illa, recta, constans et solida, solidae petrae innitens, παιδεία erit. Quod si de religionis aliquo articulo controversia aut contentio inciderit (quales hodie heu nimirum multae sunt, & quae humani ingenii vel foecunditas vel superbia est, plures metuendae sunt) ad quamnam tandem in his turbulentis tempestatibus ancoram confugiemus? Ad sacras literas, opinor: haec enim a Theodoro proposita λύσις est: haec etiam a D. Paulo ad elenchum prefixa

*fixa meta est. Tempore Apostolorum varia quoque
 factiones ecclesiam distrahebant: alii Pauli, alii
 Apollo, alii Cepha se discipulos esse jactabant. At
 quid doctor ille gentium ad Corinthios scribit?
 ὅτ' ἄρ λέγει τις (ait) ἐγὼ μὲρ εἰμι Παύλου, ἕτερος
 δὲ ἐγὼ Ἀπόλλω, ἕχιστὸν σαρκικῶς ἐσε; τίς ἔμ' ὄσιν
 Πάυλου: τίς δὲ Ἀπολλῶς: ἄλλ' ἢ διάκονοι, δι'
 ὧν ἐπιστεύσατε, ὅτι ἐκείνῳ ὡς ὁ κύριος ἔδωκεν.
 Hoc Paulinum malagma nostris etiam morbis
 obducamus, & secundum Theodoretum τὴν πο-
 λέμιον ἀπελάσαντες ἔριον, ἐκ τῶν θεοπνεύστων
 λόγων λάβωμεν τῶν ζητημένων τὴν λύσιν. Sed
 de vobis satis dictū est generosi adolescentes. Quod
 verò ad nos, præceptores vestros, attinet, cum non
 dubitem, à collegis meis vos ad Logica, Oratoria,
 Mathematica studia persequenda satis incensos
 & incitados esse: de mea acroasi, quam hætenus
 in historiis & Iustinianeis scholis feci, paucis vos
 monebo, & ad historica ac juridica studia absol-
 venda cohortabor. Etsi enim vos jam in cursu e-
 stis, nec meis admonitionibus adhortationibusque
 ullum locum reliquistis: ut tamen acrius perga-
 tis, animis vestris, tanquam generosis equis, cal-
 car meum addam. Nam, ut poëta ait,*

*Acer, & ad palma per se cursurus honores,
 Si tamen horteris, fortius ibit equus.*

*Et quod ad historiam quidem attinet, nostis
 ipsi, quantis commodis & utilitatibus studium il-
 lud refertum sit. Primum enim quantum illud hi-
 storis beneficium est, quòd præstantium virtute*

virorum memoriam et famam sacrosanctam con-
servat? Itaq, non injuria Diodorus vocat eam Φυ-
λακὴν τῆς τῶν ἀξιολόγων ἀρετῆς: item ἀθάνατον
εὐφημίαν, θεότατον σῶμα, ἀπαθανατίζουσαν
τὰς ἀρετὰς. Quid enim de Cyri regis Persarum
potentia, de Alexandri M. regis Macedonū vir-
tute, de Augusti felicitate, de Traiani bonitate, de
Constantini & Caroli Magnorum illorum et lau-
datissimorum heroum virtutibus et rebus præcla-
rè gestis teneremus, si historiaram monumentis
destituti essemus? Quid de antiquissima inter Po-
lonicas vestra familia sciremus, nisi fidelibus anti-
quitatis testimoniis vallata esset? Sed de illa an-
tiquitate postea pluribus agemus. Ut igitur præ-
clara virorum clarorum exempla ab historicis
ad omnem memoriam prodita sunt, ad virtutis
commendationem æternam, & posteris imitan-
dam: sic econtra improborum hominum exempla
ad vitandum fugiendumq, proposita sunt. Hinc
Neronis & Domitiani crudelitas & libidines pu-
blicas æternisq, historicorū probris proscissæ. Hinc
Caligula fax humani generis: Heliogabalus ludi-
brium publicum: Maximus, publicus hostis, Busi-
ris, Phalaris, Sciron, Typhon dictus est: ut his &
similibus probris principes posteriores conscissi, in-
famie metu conficerentur & lacerarentur. Non
itaq, frustra historia ab eodem Diodoro benefa-
ctrix communis societatis humane appellatur, ἐν-
εργέτις τῆς κοινῆς γένεως τῶν ἀνθρώπων. Nam &
de illis qui ad Reipub. gubernacula sedent bene
moretur, & de illis qui a Reipub. remoti sua re fa-
miliarè

miliari ducuntur, & in privato otio degunt. Illis enim recte gubernandi, his verò bene parendi: utrisq; autem societatem civilem bene colendi rationem vivis exemplis demonstrat. Nullum igitur ab historia beneficium in humanum genus utilius profectum est, quàm quoties magna aliqua ac nobilis virtus literarum fidelibus monumentis tradita est, ut celeberrimus quisq; ingenio ad proendam virtutis memoriã, sine gratia aut ambitione, bonæ tantum conscientie precio duceretur. Nam, ut poëta bene canit,

*Ipsa quidem virtus precium sibi, solaq; late
Fortune securâ nitet, nec fascibus ullis
Erigitur, plausûve petit clarescere vulgi:
Nil opis externe cupiens, nil indiga laudis:
Divitiis animosa suis, immotaq; cunctis
Casibus, ex alta mortalia despicit arce.*

Adhæc historia, verissima vates à Diodoro vocatur, προφήτις τῆ ἀληθείας. Nam si divinatio nihil aliud est quàm prudentia: hæc autem ex historia maxime comparatur: nimirum ille optimus vates erit, qui ex historia prognosticis optime conjiciet. Eadem enim semper fabula agitur in hoc mundi theatro, personæ tantum & tempora mutantur. Ex præteritis igitur exemplis de futuris negotiorum & rerum eventis facile prædivinare, & obvia in rebus singulorum temporum similitudine, ab iisdem causis pares exitus animo præcipere, principia & causas rerum gestarum videre, consequentia cernere, similitudines comparare, rebusq; presentibus adjungere & annexere

futuras licet. Præterea hæc ipsa historia, quasi arx
& domicilium totius philosophiæ est, μικτόωολις
& ὀλης φιλοσοφίας. Nam cum rerum divina-
rum humanarumq; cognitio ex observatione ex-
perientiaq; orta sit: efficitur, ut philosophia, quæ il-
lam cognitionem profitetur, præcipua pars historiæ
sit: quod indicant præcipuæ artes, quæ ex historia
tanquam fonte primo suam originem ducunt. Ita-
que amplissima illa philosophiæ pars de natura &
rebus occultis, historiæ animalium & stirpium
ab Aristotele & Theophrasto descriptam conti-
net; & Plinius laudatissimum illud opus, & cui
Græci simile nullum opponere possunt, historiæ
naturalem appellavit. Altera item illa philoso-
phiæ pars de moribus & virtutibus, unde potius
quàm ex virtutum & vitiorum exemplis histori-
cis originem traxit? Nam quæ communis homi-
num vita virtutum aut vitiorum exempla singu-
laria suppeditavit: ea philosophi generalibus de-
finitionum, descriptionum, partitionum theore-
matis philosophicis incluserunt. Iam ut de majo-
ribus illis disciplinis, de Medicina, de Iurispru-
dentia, de Theologia dicamus: de Medicina cer-
tè constat, observationes ejus singulares principio
in Æsculapii templo consecratas fuisse, unde Hip-
pocrates generalia medicinæ decreta constituerit.
Iurisprudentia verò nihil aliud ferè est quàm hi-
storia & cognitio antiquitatis Romane in juris
variis speciebus & temporibus: & ne longior in ea
re explicanda sim, Pomponius I. C. in lib. 2. De
orig. jur. huic rei affatim satisfaciet. Deniq; tota
theolo-

theologia & doctrina de fide, de lege, de precatio-
 ne, de sacramentis, in historia Mosis, propheta-
 rum, Christi & Apostolorum comprehensa est.
 Que cum ita sint, non immerito historia omnium
 artium μητρόπολις a Diodoro appellata est.
 Quid dicam quantum illa utilitatis & momenti
 ad eloquentiam afferat? συμβάμετ, πρὸς λόγῳ
 δύνανται. Nam & veteres progymnastæ, qui pue-
 ros & adolescentes ad eloquentiam informabant,
 primum solum & fundamentum ejus in narrati-
 unculis historicis posuerunt: & alioqui oratio si
 ampla, copiosa & prudens esse debet, historicis ex-
 emplis tam antiquis quam recentibus, tam dome-
 sticis quam externis referta sit necesse est. Vnde
 meridiana luce clarius apparet, historiam infini-
 tas vel potius omnes in se utilitates unã continere:
 πάντα χρήσιμα πᾶσι ληφῆ. Nam sive in re pri-
 vata aliquid, sive in publica, cum ratione suscipe-
 re velis, historiam mirificas utilitates afferre vi-
 demus. In summa experientiam & prudentiam
 singularem efficit in illis, qui in ea sedulo versan-
 tur: ὁ σύνολοι ἐμπειρίαι μεγίστη πᾶσι ποιεῖ
 τοῖς ἐντυχάνουσι. Quo in genere summum hi-
 storia beneficium agnoscere necesse est. Nam etsi
 ex peregrinationibus etiam non contemnenda ex-
 perientia & prudentia oritur: ille ipse tamen &
 viarum difficultatibus molestiisq̄, & tempesta-
 tum aërisq̄ injuriis, & maris periculis, & homi-
 num fraudibus latronumq̄, insidiis innumeris va-
 riisq̄ obnoxie sunt. At in prudentia ex historia-
 rum lectione comparanda, longè aliter se res ha-

bet. Nulla hic viarum molestia metuenda est: nulla hic tempestas formidabilis occurrit: nulla naufragii aut latrocinii suspicio est: hic historiae orbis summa cum securitate tutissimè obambulantur: deniq; in otio & umbra sine pulvere & sudore haec prudentia contingere potest. Sed nimis multa de historia: ad Iurisprudentiam veniamus, quam ut historia copuletis, imprimis Respub. postulat, quae in vestro auxilio spem non exiguam repositam habet. Sic enim & olim apud Rom. juris cognitio possessioq; penes principes fuit: & nullus alioqui vel mediocris hominū cœtus sine legum equitatisq; cognitione retineri potest. Itaq; illius discipline studium & divinis mandatis sancitum, & principū privilegiis autoritateq; munitum, apud eruditos et politos populos semper vixit. Volumus res nostras & patrimonia nostra tranquille retinere? jure opus est. Volumus lites & controversias civiliter dirimere? jure opus est. Volumus aequabili jure summos cum infimis, divites cū tenuioribus continere? jure opus est. Volumus omnes bellorum & tumultuum occasiones praecavere? jure opus est. Accedit, quòd in jure nostro tanta sermonis Latini elegantia, tanta puritas est, ut vel ob hanc unicam causam jus illud Rom. ad cognoscendum proponi debeat, ut linguam Latinam inde pleniorē lautiorēq; reddamus. Ut taceam interea de Antiquitatis totius dignitate, quae quasi in alveum quendam Pandectarum & Codicis est conclusa. Hinc antiqua illa de origine juris, de veteribus Iureconsultis, deq; eorum scholis, sectis,
biblio-

bibliothecis & operibus: de magistratibus, de politica militariq³ disciplina, & de aliis plurimis historia. Sed equo longior sum in hac mea ad historiam & jurisprudentiam cohortatione, praesertim cum jam antea in cursu sitis: cujus rei argumenta minimè obscura sunt. Indicat id primò diligentia & assiduitas vestra in Exotericis & Acroamaticis nostri Gymnasii praelectionibus audiendis. Indicat id vehemens exercendi studium in declamationibus & aliis prudentiae & eloquentiae progymnasmatibus. Indicat & amor ac benevolentia erga vos nobilis & prudentis viri Ioannis Tzierzii, qui vestri curam sedulā attentamq³ observationem habuit. Nec defuit vobis liberalis opera, doctissimi humanissimiq³ viri Viti Gravii, qui non tantum in humanioribus studiis, sed etiam in pietate & sacra religione, summa diligentia una cum inspectore vestro Simone Luscinio vos instituit. Ut omittam dicere de familia & convivitione, quam & magnam & modestam habetis, è qua vel praecipuus est Andreas Bonerus, familia nobili & celebri ortus. Accedunt et fratres patruales Czurnii, duo Georgii cum Nicolao. Non enim parum refert vel ad virtutem vel ad auctoritatem quos domi habeas vitae institutores, quos doctrinae monstratores, quos convivtores familiares. Et quanquam haec tot & tanta eruditionis & virtutis adjumenta non essent: tamen naturæ bonitas & generis nobilitas à vero rectoq³ vos abduci minimè permetteret. Nam si verū est, bonos bonis nasci, vos certè Fierleios & virtute et probitate cete-

ris vestri ordinis hominibus praeire necesse est. De familia certe vestra, antiquitatis testimonia laudatissima et amplissima inveniuntur. Sunt enim quibus Fierleiorum gentem ex familia Leopardorum, vel (ut vos nuncupatis) Lampardorum, originem ducere velint, quae familia & dignitate & meritis claruit tempore Miezlai, primi Christiani Sarmatarum principis: sub quo Barones Polonici suscepto primum Evangelio, singulari instituto hunc morem observarunt (qui etiam aliquot post seculis duravit) ut cum in publico Christiani populi coetu Evangelium palam recitaretur, ipsi gladiis ad medium usque districtis assurgerent: quo praeclaro more significabant, se paratos esse ad Christianae fidei defensionem, etiam usque ad mortem. Sed ut ad Fierleiam gentem redeamus: ex multis minimeque fallacibus conjecturis apparet, eam gentem ex Bohemia tempore ejusdem principis Miezlai venisse, & nascentem tum temporis in Polonia religionem Christi non parum auxisse. Inuit autem regnum ille Miezlaus circa annum Christi 963. Illud certe constat, tempore Boleslai Audacis (qui anno Christi 1058. in regno Polonia successit, & D. Stanislauum Episcopum Cracoviensem sua manu interfecit) Fierleiorum familiam nobilem jam fuisse, & tam domi quam foris claruisse. Regnante vero Vladislao Lokietko (qui & cubitalis dictus fuit) familia vestra jam tum magnis opibus & summa dignitate aucta fuit, circa annum Salvatoris nostri cIo. ccc. quo tempore Ostaphius vel Ostasius Fierleius militaribus artibus inclaruit

claruit ita, ut primum amplissimum Dapiferi mu-
nus, mox etiam Ensiferi consecutus fuerit. Præter-
ea anno c l o . c c c . x x x v i i : quo, regnante Ca-
simiro, Tartari cum Ruthenis castrum Lublinen-
se per x i i . dies obsederant, simulq; princeps Tar-
tarorum sagitta ex castro missa occisus est: eodem
inquam tempore Stanislaus Fierleius præfecturam
militarem obibat: Petrus verò provincie Lubli-
nensis iudicem agebat. Mentionem quoq; histori-
ci faciunt dominorum à Dambroviza, qui cum
aliis Polonis ultrò gloriam quærentibus a multi-
tudine Tartarorum oppressi sunt, anno Christi
c l o . c c c . x c i x . quo Vitoldus Magnus Litua-
nie dux alteram expeditionem contra Tartaros,
duce Tamerlane (qui Bajazetem Turcarum Imp.
captum in ferrea cavea circumduxit) suscepit.
Fuerunt & alii nonnulli amplissima dignitatis vi-
ri, qui majorum suorum virtutem imitati pari ho-
nore dignissimi semper habiti fuerunt: è quibus
præter reliquos omni laude gloriaq; excelluit Ni-
colaus Fierleius, proavus vester, qui tempore Casi-
miri tertii militari laude præstitit. Is cum Ioanne
Alberto Casimiri filio apud Copestrinum pagum
Tartarorum XL. millia, prædas è Polonia agenti-
um, aggressus: x x v . millia barbarorum duobus
preliis confecit, anno Christi c l o . c c c c . L x x x i x .
Mox ad Bajazetem secundum Turcarum Imp.
à Casimiro missus, fœdus tam feliciter iniiit, ut me-
ritò tam diuturni otii, quo hætenus Polonia usa
est, tranquillitatisq; et autor et conciliator haberi
debeat. Postea Vladislaum regis filium in Bohe-
miam

miam secutus, summa laude militari floruit: & paulo post a Ioanne Alberto rege Polonorum contra Tartaros campestrium exercituum dux factus est: anno Christi c l o . c c c c . x c i i i . Ex-
tat memorabile magni animi fortisq; de eodem Nicolao exemplum, quod hic recitare minime pigebit. Anno Christi c l o . c c c c . x c v i . Ioannes Albertus rex expeditionem contra Turcas susceperat, sed proditione et perfidia Stephani Palatini Moldavia, hominis astutissimi & bellicosissimi, re infecta ex Moldavia rediit. Cum vero Valachi vel Moldavi ex insidiis infestarent redeuntem exercitum regis, et inter alia, nocte quadam observato venti vehementioris flatu, herbas arentes cum fruticetis, haud procul a castris succenderent: coortaq; flamma, vento impellente, magis ac magis castris appropinquaret: ibi attoniti Poloni summoq; timore perculsi, illud periculum aspiciebant. Tum Nicolaus noster, Quid timetis, inquit, nihil hic periculi est: corripite celeriter falces, ac proximas castris herbas metite et succidite. Atq; hoc fortitudinis exemplum esto: audiamus reliquum vite & dignitatis cursum. Ab Alexandro rege, vivente adhuc fratre eius Ioanne Alberto rege, cum Bajazete Turcarum Imp. induciae dudum constitutae, per eundem Nicolaum Firleiam renovatae & confirmatae sunt. Cum vero re praclarè gesta rediisset, praefectura & Palatinatu Lublinensi à rege donatus est. Nec multo post ad Vladislaum R. Vngariae orator est ablegatus. Tandem à rege Sigismundo primo summus copia-
rum

rum dux creatus, cū Borussia, quæ per ducentos
& amplius annos à regno Polonia avulsa fuerat,
recepisset, & Albertū seniore[m] Marchionē Bran-
deburgensem (qui summo cum magistratu Cru-
ciferis præerat) illustrissimo ducatus titulo Sigis-
mundi primi fidem sequi coëgisset: regni pomeriis
& receptis & ampliatis, triumphans domum re-
versus Palatinatu Sendomiriensi, postea etiam
Castellanatu Cracoviensi (quæ præcipua inter se-
culares dignitates habetur) honoratus fuit. Ha-
buit autem Nicolaus noster filium Petrum, avum
vestrum, qui ex illustrissima antiquissimaq[ue] Ten-
ciniorum familia uxorem habuit, & permultis in
patria functus honoribus, Palatinatu generali ter-
rarum Rusiæ decoratus obiit. Ex eo nati sunt Io-
annes pater vester, Nicolaus item & Andreas, ille
Ravensis, hic Sendomiriensis castellanus. Sed ut
de parente vestro dicam: habuit ille educationem
valde liberalem sub præceptore viro docto Stanis-
lao VVielizka: quo privatim domestico magistro
usus est usq[ue] ad duodecimum ætatis annum. Mox
Lipsiam tempore Lutheri ad bonarum artium
mercatum missus, biennium ibi mansit, et puræ re-
ligionis fundamenta jecit. Lipsia Patavium est
profectus: ubi cum itidem biennium mansisset, po-
stea cum avunculo Stanislao comite a Tenzin Ca-
merario Sendomiriensi terram sanctam, Asiam,
& partem Africa lustravit: deinde Italia, Gal-
lia, Germania lustrata, domum reversus in au-
lam Sigismundi primi regis in Secretarium juxta
morem patriæ est electus. Hinc orator ad Divos
Carolus

Carolus V. Imp. & Ferdinandus R. in conventum VVormatiensem anno c. l. 1. 1. XLV. destinatus, fœdera cum imperio Rom. & hereditariis domus Austriacæ regnis renovavit. Post mortem Sigismundi primi ad minorem Sigismundum Augustum inter aulicos vocatus, & præfectura Casimiriensi a rege ornatus, breviq; post in VValachiam a rege missus, ad recipiendum jusjurandum a Bogdano Palatino Moldaviæ, indeq; reversus Castellatu, Belsensi est donatus. Expeditionem interea Rex in Livoniam instituit, in quam ille sumptibus propriis regem secutus est. Rex itaq; ejus virtute & dignitate perspecta, Palatinatu Lublinensi & præfectura Rohatinensi, unâ cum officio supremi Marescalci eum ornavit: in quo sese ita gessit, ut & hominibus gratus esset, & dignitas Reipub. in excipiendis extraneis per eum conservaretur. Tempore ejus Marescallatus, ipso tanquam egregio senatore præeunte, unio magni ducatus Lituaniæ anno c. l. 1. 1. Lxix. & ducatus Osvecimensis cum regno Polonia facta est. Explorata itaq; ejus & fide & constantia in meritis erga Rempub. Rex Sigismundus Augustus, cum intelligeret maximas turbas in interregno futuras, in ipso mortis articulo, ejus solius fidei præceteris arcem Cracoviensem, in qua insignia regni asservantur, commisit: ad quæ tuenda ut potentior esset, Palatinatu & Capitaneatu Cracoviensi eum ornavit. In interregno autem quantas turbas, molestias, & labores perpeffus sit, vobis non ignotum est. Nullus tam exiguus conventus erat,

cus

cui ipse, ut patriæ & Reipub. libertati consulere, non interesset. Nulla privata consilia habebat: sed saepe cum bonis, probis, patriæq; amantibus consultabat & communicabat, sciens in eo sitam regni felicitatem & libertatem, si totius nobilitatis consensu res gereretur: neq; privato consilio Rex eligeretur. In eo quoq; singularem & eximiam virtem suam declaravit, quòd cum a Rege Galliarum Carolo IX. & fratre ejus Henrico duce Andegavensi, matremq; eorum Catharina, Polonus quidam Andreas Mencinius, ad eum cum literis tanquam ad Palatinum primarium & regni supremum Mareschalcum, statim post regis mortem veniret: ita respuit & contempsit Galli & munera & pollicitationes, quibus eum ad suffragium sibi mutuandum sollicitabat, ut objurgatum graviter Mencinium a se dimiserit. Meminerat enim quid in illis Parisiensibus Eois paulò ante accidisset. In eo itaq; totus fuit, ut more Venetorum, e 30. idoneis ad regni gubernacula vel Lituanis vel Polonis, sorte Rex Polonus vel Lituanus eligeretur. Sed cum nihil perficere apud imperitam multitudinem posset, partes Regis Sueciæ cum optimis quibusq; secutus est: unde in tantam invidiam & odium apud illos, qui Gallorum partes tuebantur, pervenit, ut insidias illi aperte struere plurimi viderentur, eumq; ipsum regnum affectare, falso affirmarent. Multi tunc erant magnates & precipui senatores regni, qui a Rege Sueciæ stabant: & potuit quidem pater vester facile electionem regis Galliarum impedire: nisi paci consulere maluisset.

Vo

Vt enim erat acutissimus barbarum regni et civilis belli periculosissimi divinator: prestare putavit multorum furori cedere, & pacatam Rempub. videre, quam gravissimo funestissimoq; bello eam implicare. Itaq; sententiam mutavit, aliis ad pacem suavor fuit: regem Henricum in tentoriis VVarsovia lacrymans nominavit, & postea Cracovia regem coronatum mœstus pronunciavit. Fuit rex Henricus postea cum ipso in pago ejus Baliciis uno milliari à Cracovia distante: domumq; ejus in foro Cracoviensi sitam invitatus, nomen suum minimo natu fratri vestro imposuit. Quantum autem molestiarum perpeffus postea fuerit ob defensionem sincerioris religionis, vobis minimè ignotum est: & adsunt hîc etiam aliqui, qui suis oculis viderunt, suisq; auribus audiverunt altercationes ejus, contentionesq; gravissimas cum Archiepiscopo Gnesnensi & aliis spiritualibus, ut vocant, in electione Henrici Regis, cum Monlucio astaret, et jurijurando de articulo confœderationis interesset, quam Pontificii manibus pedibusq; perturbare conabantur. Quin etiam cum rex in summo templo Cracovia coronaretur, iidemq; Pontificii instinctu legati Pontificis, regem obtestarentur, ne hunc articulum jurejurando confirmaret: tanta constantia hîc restitit pater vester, ut arrepta corona, que tum regi præferebatur, exire templo cum aliis insignis voluerit, nisi à plerisq; pacis & concordie nomen inclamatum fuisset. Cum ergo in his regie coronationis comitiis libertatem dignitatemq; religionis Evangelicæ vehementer

vehementius defendisset : paucis diebus post in gravissimum morbum incidit, ac tertio novi regni mense, ad 28. Aprilis in arce Cracoviensi, anno 1574. mortuus est: Vir ad propagandam religionem Christianam, & omnibus praeclaris virtutibus à Deo prepotente ornatus. Magnum itaque religionis, justitiae, clementiae, magnificentiae, benignitatis, temperantiae, moderationis, pudicitiae, placabilitatis, fortitudinis, patientiae, & animi excelsi in parente vestro (pia memoria) exemplum habetis: quod imitari laudabile, assequi vero honestissimum vobis erit. Penè praeterieram patruos vestros duos & fratrem Germanum, Castellanos & senatores regni. Nicolaus, Castellanus Ravensis, vir est de Repub. optimè meritus, omni genere artium bene instructus, legationibus, usuque & peritia rerum clarus. Andreas, Castellanus Lublinensis & praefectus Sendomiriensis, in militari est exercitissimus. Quid verò de doctrina, prudentia, sapientia, pietate & modestia fratris vestri dicam? qui propter illas virtutes apud prudentissimum regem in summa gratia & estimatione est, & ab omnibus easdem ob dotes ingenti favore & amore colitur & diligitur: ac ideò ante aliquot annos orator Lutetiam, ut regem adduceret: postea vero etiam Viennam ad Maximilianum Impe. à proceribus missus est. O felicem igitur & beatum regem talibus senatoribus: & o beatos proceres tali rege, de cuius virtutibus (ut ille de Carthagine ait) silere praestaret quàm pauca dicere: nisi haec ipsa pauca regius er-

ga omnes doctos amor nobis extorqueret. Nam ut ipse rex sapiens & pereruditus esse: ita etiam prudentes viros et doctos in summo precio habere dicitur. Indicat id gratia, qua apud ipsum valent duo prestantissimi viri, primum Ioannes Zamosczius, ex antiquissima Iolitarum familia natus: doctissimus & sapientissimus vir: deinde Nicolaus Mieliczkius Palatinus Podoliae, nunc in hoc Moscovitico bello summus copiarum imperator, homo prudentissimus & in re militari facile primus, & sanguine summaque familiaritate parenti vestro olim conjunctissimus. Hic tametsi Reipub. negotiis gravioribus occupatissimus sit: ita tamen est erga studia et historias affectus, ut in summa angustia temporis librorum lectioni non parum tribuat: quo in otio subsecivo Rami nostri militari disciplina saepe eum recreari non dubito. Verum ne sim longior, habetis Firleii generosissimi domestica vestrae familiae in omni virtutis genere exemplam prestantissima, in quorum similitudinem imitatione vestra incurrere honestissime possitis. Habetis dapiferos, ensiferos, praefectos militares, iudices: habetis, qui gloriam morte sua contra infideles & paganos quaesierint: habetis, qui summi copiarum Imperatores, militiaeque duces fuerint: habetis qui foederibus sancendis, legationibusque obeundis fidem Reipub. operam praestiterint: habetis qui secreta principum tractarint, peregrinationes longissimas obierint, patriae amore durissima quaeque pertulerint: habetis qui sinceram puramque religionem studiosè adjuverint, provexerint, defenderint:

derint: & in ea defendenda nullum periculum,
nullamq; invidiam recusarint: habetis qui ἀδωροῖς
δόνητοι summa abstinentia integritateq; in Re-
pub. versati sint: qui etiam literatos & literarum
studiosos liberalissime semper aluerint: habetis
pacis tranquillitatisq; amantissimos studiosissi-
mosq;. Horum omnium exempla cum vobis ad
imitandum insequendumq; proposueritis: semi-
nudos illos pro religionis defensione enses; illasq;
contra Christiani nominis hostes falces oblivisci
nolite. Sic fiet, ut, cum majorum vestrorum virtu-
tem & in omni Reipub. munere officium imitati
fueritis, pari quoq; honore digni judicemini, vel
potius non ignobili certamine avitam patriamq;
gloriam superasse videamini. Quod ut fiat, Deum
Opt. Max. oro rogoq;, qui laudatissimos vestros
conatus sua benedictione adjuvare, & quotidie in
melius augere ac provehere dignetur, ut ipsius
ecclesie, Reiq; publicae salutare, vobis ho-
norifici, amicis solatio illi ipsi co-
natus esse possint.

DIXI.



I 2

PRO-



PROPEMPTICVM, MA-
GNIFICIS ET GENEROSIS DOMI-
nis, Domino Iohanni, D. Petro, Fierleis, fra-
tribus, Palatinidibus Cracoviensibus: ex Al-
dorphiano Noribergensium Gymnasio
Lipsiam propediem descessu-
rus, scriptum

1

CASPARO ODONTIO VVEIS-
senburgensi, ejusdem Gymna-
sii Collega.

Hoc licet extremo cunctarum turbi-
nererum,
Effætiq; diu mûdi languente senecta,
Vera Dei passim variis Ecclesia mon-
stris

Impugnata graves afflicto pectore questus
Fundat, & exitium tandem tristemq; ruinam,
Vndiq; membrorum rumpita compage, minetur:
Dum velut insani navis que concita fluctus
Vortice defertur, rapidisq; arrepta procellis
Iactatur ponto, & nunc huc, nunc fluctuat illuc:
Sic ea terrarum vasto jactatur in orbe
Pulsa malis gravibus, variis afflicta periclis:
Horrendos inter rerû omnium egena Tyrannos:
Hanc tamẽ omnipotens mundi servator et autor,
Invicta solus qui sustinet omnia dextra,

Filiolam

Filiolam tanquam presenti numine servat:
 Hostilesq₃ inter turmas stygiosq₃ furores
 Sustentans prestat tutam, atq₃ a clade resolvit,
 Quin etiam in varias gentes atq₃ extera regna
 Gratia larga Dei sese diffundit: in illis
 Salvifici quoniam cœlestia semina verbi,
 Sublato veterum ritu cultuq₃ sacrorum,
 Non tantum rerum genitor Deus excitat ultrò,
 Cunctisq₃ errorum nebulis tenebrisq₃ fugatis,
 Quæ mentes hominum cœcas, atq₃ inscia veri
 Corda Dei, obscura quasi nocte sepulta premebāt,
 Æthereæ nitido lucis splendore videndum
 Sese offert, radiisq₃ sui cœlestibus almi
 Numinis illustrat mentes, ac cœca serenat
 Pectora: verū homines etiam præstantibus auctos
 Ingenii donis, magnaq₃ à stirpe parentum
 Progenitos, opibus celebres multumq₃ valentes
 Nominis illustri fama ac virtutis avitæ
 Astrigeri incendit sacro spiramine flatus:
 Ut natale solum relinquunt, dulcesq₃ parentum
 Complexus, patriisq₃ procul quæ disita ab oris,
 Extera regna petant per mille pericula, magnos
 Nec sumtus rennant, nec duros ferre labores:
 Inclyta non tantum Sophiæ documenta, vel usum
 Diverseq₃ sibi acquirant idiomata lingue,
 Omnia quæ summi sunt agnoscenda tonantis
 Munera, et humanis quæ præstant plurimâ rebus
 Commoda: communemq₃ docent in tramite vitam
 Ducere legitimo, curvoq₃ exolvere fluxu.
 Verum ut cum primis divini dogmata verbi
 Salvificamq₃ fidem, qua sola sidera adimus,

Almaq₃ cœlestis penetramus in atria regni:
Subjiciant animo penitus fixamq₃ reservent:
Atq₃ ita vera suæ ac fundamina firma salutis
In patriam reduces magna cum fruge reportent,
Auxiliumq₃ ferant, ac incrementa tenelle
Dent Ecclesiæ prompti, magnoq₃ labore
Thesauros fidei partos, certasq₃ salutis
Divitias, stimulis veræ pietatis adacti,
Distribuant patrias summa cum laude per oras,
Propagentq₃ Dei nomen, re, sorte, fideq₃:
 Ut vos ô fratres, vos, ô spes inclyta gentis
Fierleæ, Aonidum splendor, patriæ ornamentum:
Vos, inquam, fratres, suavissima pectora nobis,
Vel soli ante alios hîc exemplo esse potestis.
 Nam, quo Sarmaticâ non longo carmine terrâ,
Quam duplices hodie retinent sub jure Poloni,
Quoq₃ dedit vitam vobis, patriosq₃ penates
Persequar: hæc quondam studiis asperrima belli
Terra fuit tantum: nec sacris dedita Musis
Doctrinis animum coluit: sed Martis alumna
Æternam sumtis laudem quæsivit ab armis.
At postquam summus nitidi regnator Olympi
Desuper hanc gentem cœlo respexit ab alto
Lumine propitio, nunc duplici laudis honore
Æternæ fruitur: siquidem veneranda sororum
Æquè Pieridum sequitur quoq₃ castra, datumq₃
Hostis ab insultu vicini, ac tristibus ansis,
Doctrinæ studiis tempus transmisit honestis,
Ut dubitare queas, utrum plus Marte vel arte
Hæc valeat tellus hodiè: contentio tanta
Est Musis cum Marte sacris in gente Polona.

At

At verò has inter laudes hæc eminet una,
 Fulgidaq; astrigeri contingit sidera cœli:
 Quod veteri errorum purgata labe relucet
 In multis sincera locis fax optime verbi
 Christe tui: revocat stygia quæ mortis ab umbra
 Immersas hominum mentes, ac prævia certam
 Monstrat ad astra viam, sanctaq; in sede reponit.
 Hinc tot præstantes vera pietate, tot auctos
 Multiplici rerum doctrinarumq; celebres
 Cognitione viros ea terra reducit in auras.
 Quos inter vestre nitidissima gloria stirpis,
 O fratres, palma vernat florentis ad instar:
 Huic quia prona Dei favet indulgentia, & illam
 Ornatam variis voluit præcellere donis:
 Quæ sors nulla premet, nec tempus subtrahet ullū.
 Nam vestrum (ne majorum præclara revolvam
 Gesta, quibus nullum præconia detrahet ævum
 Debita: sed cunctis florebut cognita seclis)
 Ornabat patrem pietas, sapientia, candor,
 Integritas animi, gravitas, constantia, virtus.
 Vnde Sigismundo regi charissimus unus
 Extitit ante alios omnes, quos aula fovebat,
 Atq; Mareschalci supremum contulit illi
 Munus, quod gessit summa & cum laude peregit.
 Quin ad majores tandem est evectus honores,
 Bis senosq; inter proceres in sede locatus
 Est summa: proceres Latia quos dicere verbo
 Consuevere Palatinos: qui legibus æquis
 Augusta q; sua populum gravitate gubernant:
 Qui gradus est summus, si à rege recedis, honorū.
 Tantus erat genitor vester, virtutibus atq;

Condecoratus erat tantis, dum vita manebat.
Non referam, quantis & quam ferventibus ausis
Vocem Evangelii, & divini nominis usum
Legitimum, densis tenebris & nocte profunda
Immersum, in superas lucis revocaverit oras.
Quæ si cuncta velim digno pertexere versu,
Libera cogendi in numeros me verba sonoros
Deficiet citius vis, exilisq; facultas,
Quam possim minimam dicendo absolvere partem.
Non patruorum etiam, vitali lucis in aura
Qui incolumes extant, laudes famamq; revolvam
Iusticia partam & vera pietatis amore:
Dñ Castellani titulis ac munere gaudent. (tres
Non quoq; jam, vos ô, duo candida pectora, fra-
Magnifici generis vestri decora ampla recludam
Cætera, quæ non ulla dies memori eximet ævo.
Gratulor hanc vobis potius, qua ducitis ortum,
Eximiam stirpem, & qui vos genuere, parentes:
Et rursus toto grator quoq; pectore vestris
Multiplici ornatis virtute parentibus, almam
Per quos hanc lucem vobis, & texta tueri
Inclyta concessa est, triplex quæ machina mundi
Monstrat per summi dextram constructa Tonantis.
Vos quia magnorum vestigia recta parentum
Pone secuturi veræ argumenta dedistis
Plurima virtutis mox à puerilibus annis:
Ergo novenarum studiis sacrisque sororum
Inficienda statim patriis sunt tradita in oris
Pectora vestra, sacras ultrò amplectentia Musas:
In quibus eximiis progressi cursibus estis
Tempore non longo: ingentes sub pectore lato

Spes

Spes ut conciperent omnes, atq; omine fausto
Prosequerentur & hos cursus, atq; inde futuros.

Interea parili studio dum pergitis ambo
Linguae principis operam impendisse latine,
Aonidum sacra sacrata palatia turba
Tandem Noriacus venerabilis ordo Senatus
Hic aperit pompa ingenti cœtumq; dicatum
Numinibus, bifidi quæ celsa cacumina montis
Parnassi mira cantus dulcedine mulcent,
Præcedens intrò media in penetralia ducit.

Hujus ubi ergo novi succrescens fama theatri
Hinc procul à nobis vestras manasset ad aures,
Non mora: Teutonice mox disita climata terra
Et nova Gymnasia ardetis penetralia nostri
Visere, & optatis hinc invigilare Camænis.
Quare consultis patris vestrisq; propinquis
Altorphum patriis huc advenistis ab oris,
Iulii ut astrigero lux quinta micabat ab axe,
Ante bienne intervallum duplicemve recursum,
Quæ Phœbus rutilans duodena per astra volutus
Atq; reversus idem ad punctum, metamq; peregit.
Dicite Pegasei dulcissima numina fontis,
(Vos etenim meminisse scio) quo tramite uterq;
Quove modo vitæ spacium transegerit illud,
Quod vixere, sacri sacras Heliconis Alumnas
Dum studio vigili in nostro coluere Lyceo.

Scilicet ut dulces apis allatura saporis
Huc ubi Tymbræo redolent Heliconia tempe
Thure vias carpit, suavesq; ex ordine flores
Occupat, inde favos, mirandaq; arte recentes
Effingit ceras, ac cellas nectare tendit:

Sic vos o fratres, vestra decora inclyta gentis,
Gymnasii in pratis nostri, campoq; virenti,
Numine Musarum pleni, & virtutis amore
Impulsi varios flores legistis odore
Nectareo halantes, atq; his fragrantia vestris
Serta comis: menti verò preciosa parastis
Inscitia contra tetrum medicamina virus.
Nempe animos vobis varias coluisse per artes,
Et generis famam vestri, laudesq; perennes
Per sacra Castalidum castra amplificare Deario
Cura fuit: labor atq; hic vos exercuit unus,
In patria ut quondam reduces vos sistere terra,
Nomine virtutum ornatos, possitis, & artis.

Hinc vos Ansonia decorat certissima lingua
Cognitio, purus Latii sermonis & usus.
Hinc ea, quæ mentem certa ratione gubernat,
Et vera à falsis liquido discrimine jungit,
Doctrina est vobis infixæ, ac mentibus hæret.
Hinc etiam illius vis ac divina facultas
Est perspecta artis, variè quæ pectora flectens
Pro arbitrio, sermone regit dictisq; disertis.
Iacta quid enumerem ambigui fundamenta Iuris?
Quid disciplinam vos mente fovere tenaci,
Quæ regere imperio populos docet atq; tueri,
Hic referam? actarum quid gnava indagine rerum
Annales dicam vos perlustrasse vetustas?
Non opus est verbis, longisq; ambagibus, ipsa
Res ubi sese offert testem, litisq; sequestram.

At nil doctrinis animum infecisse, sacrisq;
Consecrassè juvat Musis, pietate remota,
Numinis ac veri cultu: quin ipsa veneni

Instar

*Instar erit diri pietate scientia cassa.
Ergo Dei cultus verae pietatis & ardor
Vos habuit semper: vos sancti concio verbi
Praesentes vidit: vos alma modestia, candor,
Non fucatus amor, studium, concordia, virtus,
His, qui Parnassi vobiscum numina montis
Hic coluere, arcto junxerunt foedere amoris.*

*O ter felices animos, vereq³ beatas
Has juvenum mentes, quas non consensio rerum
Pravarum, scelerumq³ atrox communio nequit:
Sed virtutis amor, studii, candoris, & ardens
Mens pietate Dei, vinclo constringit aheno.
Talis erat morum ratio vitaeq³ celebri
Hoc in Gymnasio, dum vos sacra numina fontis,
Pegasus alato pede quem eruit acer in auras,
Pectore devoto colitis, laudemq³ per artes
Ingenuas omni victuram aetate paratis.*

*O utinam liceat vobis hic ducere vitam,
Amplius, ac nostrum vestris decorare Lyceum
Moribus, & studii exemplum praebere juventa.
Ast optare licet, non impetrare, quod opto.
Namq³ immota sedet vestrae sententia menti,
Nostrae tecta scholae, sacrumq³ relinquere templum
Castalidum, atq³ alias Musarum querere sedes.
Cur ita? non odium nostri: non tedia ducunt
Hinc vos Gymnasii, sed honestus pectoris ardor,
Qui loca plura jubet, jubet & cognoscere mores
Diversos hominum, leges, studiiq³ tenorem.
O dignos animos aeterna laude, pioq³
Conatus horum, quibus ad sublimia verae
Culmina virtutis, disciplinaeq³ cacumen,*

In via

In via nulla via aut nimium salebrosa videtur.
At quamvis capio turbata mente dolorem
Non parvum, vestri quod nunc impendeat hora
Discessus: tacito tamen & sub pectore quendam
Sentio læticiæ gustum, mecum ipse volutans
Expendensq; locum, cupitis quo sistere cursum.
Scilicet est animus succedere mœnibus urbis
Lipsiaca, cujus nomen memorabile in oris
Non modo Teutonicis floret: sed & extera adiuvat
Regna, suas tum propter opes, passimq; celebre
Emporium: Aonii tum propter splendida cœtus
Agmina, præstantesq; viros, clarumq; lyceum.
Nam Camerariadum quanq̃ laus inclyta, vitam
Restituens Christo, superis Ioachimus ab oris
Cessit, ut æternum in cœlesti viveret aula:
Qui reliquos inter, quos illa Academia habebat,
Fulgebat quondam Phœbæ lampadis instar:
Non tamen est hodie orba viris præstantibus omni
Munere doctrinæ, & fama super æthera notis:
Quorum non levibus vos conversatio rebus
Obtundet, nugisve replebit inanibus aures,
Sed dabit ut veterum fontes haurire sophorum,
Atq; ita doctrina doctrinam augere queatis.
Ergo ut discessum tandem fausto omine vestrū
Prosequar, ac cesset deducti carminis ordo:
Pauca prius, veluti postremum pignus amoris,
Nunc ad iter vobis cinctis, præcepta relinquam:
Quæ memori nunquam de pectore mittite vestro.
Prima sit æternum vobis coluisse Tonantem
Cura, à quo ceu fonte fluit sapientia, & omnis
Nostra salus pendet: sacras adamare Camœnas
Ingenu-

Ingenuasq₃ artes sit vobis altera cura.
Hæ siquidem eripiunt fato: virtutibus addunt
Æternam famam: totum diffusa per orbem,
Gloria gestarum non cessat vivere rerum,
Si modo doctrinam comitem sit adepta fidelem.
Tertia sit vobis cura observare magistrum,
Omnibus ac meritos illis persolvere honores,
Quæ studiū & vestræ ratio est concredita vite.
Nam pia non tantū integræ observantia mentis,
At animi est index recti, atq₃ à fraude remoti.
Sed quoq₃ divinæ veneranda volumina legis
Hujus contemptum prohibent, pœnisq₃ coercent.
At quid ego his vestras præceptis demoror aures?
Non opus est illis, qui debita munia præstant,
Officiiq₃ explent partes, monitoribus ullis.
Quare quod solum sub finem restat agendum,
Supplicibus summum votis imploro parentem,
Vt vobis comitem casus se præstet in omnes:
Et contra insidias, velut est via lubrica mundi,
Omnipotente suæ vos servet robore dextra:
Lipsiacamq₃ omnes salvos deducat in urbem:
Ad verbiq₃ sui celebrandum semper honorem
Protegat: ac animi donis prælustribus auctos,
Atq₃ expectatos patriis tandem inferat oris.
Quod superest, vos ô, suavissima pectora, fratres,
Gymnasia nostri vestras oblivio mentes
Ne capiat, placido, cen fas est, ore requiro:
Hoc certè memori vestrum sub pectore nomen,
Donec Pieridum florebut numina, volvet.

ΤΕΛΟΣ.



*Imprimebatur typis Ger
lachianis.*

CL, I, LXXIX,




Tg 610

[Faint, illegible handwriting]

[Small blue mark]







TERTIA

PANEGYRIS

ALTORFIA-

NA,

CELEBRATA ANNO

M. D. LXXIX.



*Cum aliis quibusdam ora-
tionibus.*

ALTORFII. *a*

